



SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
ET
VE
RI
TAS
CHRISTO ECCLESIAE



# LYRA DOCTORUM.

---



# LYRA DOCTORUM.

## CARMINA LYRICA


A VIRIS DOCTIS RECENTIORUM TEMPORUM COMPOSITA

ELEGIT

IOANNES DRAHEIM.



LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.
MDCCCLXXXVI.






Flores avia permeans odoros —
Quos ne contereret situs, timebam —
Lector candide, iam tibi ligavi.
Versus invenies Petri Secundi
Et quos Heinsius atque Nicolai
Proles composuere nec requires
Hermannos, Palearios, Gyraldos,
Bembos Scaligerosve nec Muretos.
At si grammaticos rearis esse
Hos artem veterum male aemulantes:
Tu verum cito senties calorem.
Flaccum terra tenet diu et Catullum,
Quorum Musa viget nec interibit.

# LIBER PRIMUS.

## I.

### AD IUVENTUTEM.

Iam cornu gravidus praecipitem parat
Afflatus subitis frigoribus fugam
Autumnus pater et deciduas sinu
  Frondes excipit arborum.

Cantant emeritis, Bacche, laboribus
Te nunc agricolae, sed male sobrios
Ventosae querulo murmure tibiae
  Saltatu subigunt frui.

Nos anni rediens orbita sub iugum
Musarum revocat dulce ferentibus,
Porrectisque monent sidera noctibus,
  Carpamus volucrem diem.

I mecum, docilis turba, biverticis
Parnassi rapidis per iuga passibus,
Expers quo senii nos vocat et rogi
  Consors gloria caelitum.

Nam me seu comitem seu iuvenes ducem
Malitis, venio, nec labor auferet
Quaerentem tetricae difficili gradu
  Virtutis penetralia.

ANGELUS POLITIANUS.

## II.

### AD VILLAM MERGILLINAM.

Rupis o sacrae pelagique custos
Villa, nympharum domus et propinquae
Doridos, regum decus una quondam
Deliciaeque,

Nunc meis tantum requies Camenis,
Urbis invisas quoties querelas
Et parum fidos popularis aurae
Linquimus aestus.

Tu mihi solos nemorum recessus
Das et haerentis per opaca laurus
Saxa, tu fontes Aganippidumque
Antra recludis.

Nam simul tete repeto tuasque
Sedulus mecum veneror Napaeas:
Colle Mergillina tuo repente
Pegasis unda

Effluit, de qua chorus ipse Phoebi
Et chori Phoebus pater atque princeps
Nititur plures mihi iam canenti
Ducere rivos.

Ergo tu nobis Helicon et udae
Phocidos saltus hederisque opacum
Thespiae rupis nemus et canoro
Vertice Pindus.

I, puer, blandi comitem laboris
Affer e prima citharam columna,
Affer et flores, procul omnis a me
Cura recedat.

Principis nostri decus atque laudes
Fama per latas spatiata terras
Evehat, qua sol oriens cadensque
Frena retorquet,

Quaque non notos populos et urbes
Damnat aeternis Helice pruinis,
Quaque ferventes cumulos arenae
Dissipat auster.

Ille crescentes veneratus annos
Vatis antiquum referentis ortum
Stirpis et clarum genus et potentum
Nomen avorum

Contulit larga numerosa dextra
Dona et ignavae stimulos iuventae
Addidit silvas et amica Musis
Otia praebens.

ACTIUS SINCERUS SANNAZARIUS.

## III.

### DE FONTE MERGILLINES.

Est mihi rivo vitreus perenni
Fons arenosum prope litus, unde
Saepe discedens sibi nauta rores
Haurit amicos.

Unicus nostris scatet ille ripis
Montis immenso sitiente tractu,
Vitifer, qua Pausilypus vadosum ex-
currit in aequor.

Hunc ego vitta redimitus alba
Flore et aestivis veneror coronis,
Cum timent amnes et hiulca saevum
Arva Leonem.

Antequam festae redeant Kalendae
Fortis Augusti superantque patri
Quatuor luces, mihi tempus omni
Dulcius aevo,

Bis mihi sanctum, mihi bis vocandum
Bis celebrandum potiore cultu,
Duplici voto geminaque semper
Turis acerra.

Namque ab extremo properans eoo
Hac die primum mihi vagienti
Phoebus illuxit pariterque dias
Hausimus auras,

Hac et insigni peragenda ritu
Sacra sollemnes veniunt ad aras,
Nazari unde omnes tituli meaeque
Nomina gentis,

Nazari vastas cohibentis undas
Aequoris saevosque domantis aestus,
Quidquid et vani truculenta iussit
Ira Neronis.

O decus caeli, simul et tuorum,
Rite quem parva veneramur aede,
Cui frequentandas populis futuris
Ponimus aras —

Si mihi primos generis parentes,
Si mihi lucem pariter dedisti:
Huc age et fontem tibi dedicatum
Saepe revise.

ACTIUS SINCERUS SANNAZARIUS.

## IV.

Ingratus est vitandus ut dirum scelus.
Nil cogitari pestilentius potest,
Nec esse portentosius quidquam puto.

Ingratus aut malefacit aut male cogitat
Sibique tantum parcit, aliis detrahit
Et odit omnes, qui bonis benefaciunt.

Ingratus est audacior, quo nequior,
Et impudens ad omnia scelera trahitur
Audaxque cuncta semper in peius movet.

Ingratus est seminarium scelerum omnium
Hinc est avara mens et animus perditus,
Hinc fastus impotens et ambitus gravis.

Ingratus hoc unum benefacit, cum perit:
Nam tellus ipsa foedius nihil creat.
Portentum id omnium est habendum maximum.

PETRUS CRINITUS.

## V.

### NAENIA DE OBITU LAURENTII MEDICIS AD IOANNEM PICUM MIRANDULAM.

Ecquis perpetuis constituet malis
Finem ullum, ut valeam reddere me mihi?
Pridem seposui dulciloquam chelyn
  Et blandos Charitum modos.

Accedunt miseris funera luctibus
Nec quicquam superos flectere victimis
Fas est, ut video: sic placitum Iovi,
  Qui nutu regit omnia.

Heu noster Medices, Italiae decus,
O Pice, interiit: vae misero mihi.
Lugete, Aonidum qui colitis sacra,
  Et qui pro veteri fide

Virtutis pretium rite reposcimus.
Nam quis tam rigido pectore barbarus
Immanique animo, quin videat statim
  Sublatum columen bonis?

Hic solus patriam consilio gravi
Undantem variis fluctibus extulit
Nil diram veritus — discite, posteri —
  Regum saevitiem et dolos.

Hic se pro pavidis civibus obtulit
Hostilemque aciem robore pectoris
Perfringens viridi tempora gramine
Cinxit, dum sibi non putat

Parcendum, ut Latio praesidium ferat.
Heu, heu, quam volucri decipimur bono
Incassumque pii, ut qui nimio ambitu
Surdos distrahimus deos.

At tu maesta novis, patria, lacrimis
Indulge, nec enim cernere adhuc potes,
Quantum mox miseris civibus imminet
Fatorum gravis exitus.

Disiecta horrisono marmore fulmine
Templorum et nimium dira tonitrua
Non frustra exitium terrificis minis
Portendunt patriis deis.

O fallax utinam mentiar augur et
Non vero auspicium carmine proferam.
Tu, Pice, interea desine conqueri
Et parce imperio Iovis.

Quodsi non alius mox aderit deus,
Extinctum Italiae qui separet decus
Et Phoebum cupiat sedibus Aonum
Transferre in Latios lares,

Consiste in veteri praesidio tamen
Virtutum, et quod habes auspiciis tuis
Iam partum, in tacito contineas sinu
  Felix sorte tua satis.

Nam mitto tot opes ingenii et sacrum
Fecundi genium pectoris et simul
Praeclaris animum dotibus arduum,
  Quo certum statues gradum.

Sed me sub tenerum tempus adhuc velut
Surgentem viridi robore palmitem
Caeli saevities invida perculit·
  Deiecitque bonam indolem.

Sic decussa iacent bracchia viribus
Allisis, neque posthac animo pari
Audebo ingenium tollere, nec licet
  Sperare ulterius mihi.

PETRUS CRINITUS.

## VI.

Si quis in tantis hominum procellis
Inter et curas variosque casus
Gaudet assertor fidei decoram
    Carpere vitam:

Huius exemplum sequor expeditus
Et meos vitae melioris annos
Liber ad certum referam quietem
    Cultor honesti.

Cautius posthac mihi cymba cursum
Acta per Syrtes scopulosque duros
Solvet et nullos temere insequetur
    Aequoris aestus.

Profuit saevae rabiem Charybdis
Atque vesanos adiisse fluctus,
Gratior tandem foret ut voluptas
    Visere portum.

Integram fessi melius quietem
Sentiunt, blandus pluviis relictis
Redditur paean nitidumque lumen
    Pandit Olympi.

Illud inprimis superos precamur,
Vita dum nostrum comitatur aevum,
In sacris totum ut liceat Camenis
    Ponere tempus.

PETRUS CRINITUS.

## VII.

Nil est, quod ultra sit licitum mihi
Sperare tandem, nil medicae manus
Ex imminenti me miserum rogo
  Referre incolumem queunt,

Et iam medullis aestuat intimis
Accensa bilis nec patitur meo
Unquam dolori finem aliquem dari,
  Sed vexat magis in dies.

Obducta frontis lumina, per genas
Delapsa taetra cum macie cutis
Et destitutae mentis inertia
  Instare exitium monent.

O quantum inanes illecebrae anxia
Passim virorum pectora distrahunt,
Quantoque rerum mole peraestuat
  Humani generis lues.

Quam saepe dixi: Martia principum
Cantabo gesta et saeva per Ausones
Gallorum ab altis Alpibus agmina
  Educta in Latios duces.

At nunc parato funere frigidus
Per membra sudor labitur et meum
Flammis cadaver rite puer sacris
  Iam componere destinat

Et Cypri odores turaque mascula
Inferre lectis ossibus et levi
Cum rore lymphas spargere, quo sua
  Reddatur cineri quies.

Ergo sub annos praevirides mihi
Solvetur atro sanguine spiritus?
Nil est reluctandum superis, libens
  Quod fata annuerint sequor.

Non ille cuiquam flebilis occidit,
Quem vitae honestas et fidei decor
Inter sacrarunt numina caelitum
  Expertem gravis ambitus.

Sed fessa tandem lumina mors tegit.
Tu me, deorum summe parens, velis
Vatem beatis sistere sedibus,
  Ut sacros referam choros.

PETRUS CRINITUS.

# VIII.

## AD PHILIROËN.

Quid Galliarum navibus aut equis
Paret minatus Carolus asperi
Furore militis tremendo
Turribus Ausoniis ruinam,

Rursus quid hostis prospiciat sibi:
Me nulla tangat cura sub arbuto
Iacentem aquae ad murmur cadentis,
Dum segetes Corydona flavae

Durum fatigant. Philiroe, meum
Si mutuum optas, ut mihi saepius
Dixisti, amorem, fac corolla
Purpureo variata flore

Amantis udum circumeat caput,
Quam tu nitenti nexueris manu,
Mecumque cespite hoc recumbens
Ad citharam canito suave.

LUDOVICUS AREOSTUS.

## IX.

### AD DEUM.

Salve, rerum opifex, salve hominum salus,
Qui caelum tonitru, qui pelagus cies
Nutu sedibus imis
Et mulces tumidum, ut libet.
Ad te confugio consilio indigens
Imploroque tuam suppliciter fidem,
Ut vincam mare, iussu
Quod curro pavidus tuo.
En me monstra petunt aequoris horrida
Noctes atque dies, quo ingluviem expleant:
En quanto miser aestu,
Quantis fluctibus obruor.
Hinc me praecipitem Ira atque Odium rapit,
Hinc duris agitat me stimulis Amor,
Hinc caligine septus
Vanis ducor Honoribus.
Cum tot res miserum me adsidue nigris
Involvant tenebris, tu pater omnium
Nostri nubila cordis
Sancto flamine discute.
Tu lucem potis es luce carentibus
Et fessis requiem reddere mentibus:
O spes certa salutis,
Me tandem excipias sinu.

CAMILLUS CAPILUPUS.

## X.

### AD VIRGINEM MATREM, QUAE LAURETI COLITUR.

O maris magni dea, cuius astrum
Imperat ventis ab utroque ponti
Litore et nautis, ubi vota tendunt
    Vela, refulget:
Hadriae fluctus humidos ab alma
Sterne Laureti domo, et aura tutum
Det rati cursum tua, ne procellis
    Obruat auster.
Nos tibi in portus patrios recepti
Vota solvemus cumulata donis
Tureque et cantu fluet omnis ara
    Litore ab omni.

IOANNES CARGA.

---

## XI.

Hei mihi misero, hei mihi,
Tempus quam cito praeterit,
Homo quam cito deficit,
Et mors quam cito criminum
  Poenas exigit omnes!
Magnam, qui benefecerint,
Mercedem referunt: ego
Annis iam gravis et gravis
Culpa en distrahor omnium
  Per tormenta malorum.

Nox caecis tenebris premit
Morbo languida lumina,
Menti et sensibus incubat
Quidquid est miserum et grave:
  Vivum es, Carga, cadaver —

Vivum, nam patulae vigent
Aures, sed tuba, in ultimum
Quae te iudicium vocat,
Quali, pro pietas, sono
  Metus duplicat omnes.

Ergo tam miser et nocens
Ad quem confugiam, nisi
Ad te, rex meus et pater?
O rex, o pater, o deus,
  Tu mei miserere.

O et perfugium et salus
Humani generis pie
Iesu, te precor, ah precor,
Illa luce novissima
  Tu mei miserere.

Tu quem sanguine proprio
Aeternis redimis malis,
Pro tua pietate me
Aeternis recrea bonis
  Et mei miserere.

IOANNES CARGA.

## XII.

Spernes puellam plus nive candidam?
Spernes Lycorae gratiam amabilem,
Claros ocellos et labella haec,
Quae Paphiam superant Dionen?

Nectunt catenas bracchia mollia,
Mittunt faces, heu, lumina fervidas:
Iam iam manus do supplices, iam
Castra, Cupido, tua et tuum ius

Sequor lubens. O grata protervitas:
Amat Lycoris me face mutua.
O ter beatum me quaterque
Nec superûm ambrosiae invidentem.

LILIUS GREGORIUS GYRALDUS.

---

## XIII.

Nondum perfidiae finis erit tuae,
O crudelis adhuc in mea fata Amor?
Saevis pectora flammis
Exures iterum mihi?

Ardebam misere, heu, in patria mea
Formosam Glyceren crinibus aureis
  Auroram superantem
    Et voltu Idaliam deam.

Postquam haec rapta mihi legibus improbis,
Iam me subtrahere — hoc nam sat erat — mea
  Duris colla decebat
    Longum fessa iugis tuis.

En saevis iterum maceror ignibus,
Rursus bella moves dira, iterum tua
  In me spicula torques,
    Iam me torret amor novus.

Urit me facies pulchra Lycoridis,
Urit Sithonias ipse sinus nives
  Vincens: sic miser, heu, heu!
    Duris vexor amoribus.

Quo nos usque tua, saeve puer, face
Perdes? Num pharetrae est ulla quies tuae?
  An post funera nostra et
    Extinctum cinerem petes?

LILIUS GREGORIUS GYRALDUS.

## XIV.

Venuste agelle tuque pulchra villula,
Mei parentis optimi
Olim voluptas et quies gratissima
Fuistis: at simul senex
Terras reliquit et beatas caelitum
Petivit oras, incola
Vos alter occupavit atque ferreus
Amabili vestro sinu
Me lacrimantem eiecit et caris procul
Abire iussit finibus.
At nunc, amica rura, vos reddit mihi
Farnesii benignitas.
Iam vos revisam, iam iuvabit arbores
Manu paterna consitas
Videre, iam libebit in cubiculo
Molles inire somnulos,
Ubi senex solebat artus languidos
Molli fovere lectulo.
Gaudete fontes rivulique limpidi:
Heri vetusti filius
Iamiam propinquat vosque dulci fistula
Mulcebit, illa fistula,
Quam vestro Iolae donat Alcon maximus,
Ut incluti Farnesii
Laudes canentem Naidum pulcher chorus
Miretur et Pan capripes.

MARCUS ANTONIUS FLAMINIUS.

## XV.

### AD STEPHANUM SAULIUM.

Ne tu beatum dixeris, optime
Sauli, superbo limine civium
Qui prodit hinc et hinc caterva
Nobilium comitante cinctus,

Non si feracis occupet Africae
Quidquid praealtis conditur horreis
Gemmasque lucentes et auri
Possideat rutilos acervos.

Nec ille felix, qui valet omnium
Causas latentes cernere, sidera
Notare doctus et profundas
Ingenio penetrare terras.

Sed tu beatum iure vocaveris,
Qui mente pura rite deum colit
Eiusque iussa ducit amplis
Divitiis pretiosiora.

Non ille volgi gaudet honoribus,
Sed carus ipsi numinis est honos,
Pro quo tuendo non recusat
Dedecorum genus omne ferre.

Quin et relictis coetibus urbium
Mens eius altum transvolat aethera
  Deique summi caelitumque
    Colloquio fruitur beato.

Caelestis ergo iam sapientiae
Plenus periclis altior omnibus
  Quiescit in deo furentum
    Despiciens hominum tumultus.

Sic praeliantes aequore turgido
Ventos reducto montis in angulo
  Miratur et gaudet procella
    Terribili procul esse pastor.

MARCUS ANTONIUS FLAMINIUS.

---

## XVI.

### AD HIERONYMAM COLUMNAM.

Hesperus, aetherei longe pulcherrimus orbis,
    Inter nitet stellas vagas,
Et rosa fragrantes flores tulit inter honores,
    Cruore tincta Cypriae:
At te femineae decus, o Hieronyma, gentis
    Terris dedere caelites.

PAULUS MANUTIUS.

## XVII.

Parcius tandem radiis coruscis
Exseras voltum, nitidis reconde et
Solibus flammas modo saevientes
  Aethere ab alto.

Finditur dudum nimio calore
Sicca terrarum facies renidens
Et petens imbrem tenuique torpent
  Flumine fontes.

Namque vesani sitiens Leonis
Sidus exortum est Procyonque fervens
Morbidos menses et amica leto
  Tempora praestant.

Uritur multo calefactus igne
Aëris tractus, vaga conquierunt
Flabra ventorum, tacuere surda
  Murmura ponti.

Arva iam squalent, sitit arbor undas,
Bacchus exustis coquitur sub uvis,
Dum tenet nimbos Aquilone clauso
  Iuppiter atros.

Quis mihi latos Scythiae rigentis
Porriget campos? ubi frigus altum
Torpet et strictis glacies moratur
  Flumina ripis.

Vel quis algentem nivibusque et auris
Uvidum Rhenum mihi iam bibendum
Vel nives Hebri dabit aut gelatas
  Ponet in Alpes?

Barbaras labens Tanais per oras
Vix meos aestus, rapidos et ignes
Atque flammantem nimium calorem ex-
  stinguere posset.

Frigidas vel me placidae Camenae
Ducite hinc grati nemoris sub umbras,
Quo lyra insultat choreasque ducit
  Pulcher Apollo.

Hic ego silvis fruiturus altis —
Deprecor, Musae — date Pegaseis
Ungulis ruptos latices et ora
  Tingite fonte.

CONRADUS CELTIS.

## XVIII.

Iam mihi tristis hiems boreasque rigentibus procellis
Incana menta sparserat pruinis,
Et modo testa mihi glabrescit perditis capillis,
Squalent ut arbores comis solutis,
Quas Capricornus atrox et aquarius algido rigore
Denudat et suo spoliat decore:
Quae tamen ad verni reparantur sideris calores,
Dum cuncta lubricus reducit annus
Sollicitatque suis stimulis Venus incitata ab astris,
Ut prole terras impleat renata.
Ast ubi pigra semel nostris venit artubus senectus
Et mors supremo nos locat feretro:
Imperiosa trahit Proserpina sub suum cubile,
Quod ferreis cum vectibus servavit,
Et reduci negat ire via nos alligans sopore,
Quo nullus excitabitur sepultus —
Sit quamvis Rheni dominus vel Vistulae colonus,
Istri vel Arctoi sinus tyrannus.

CONRADUS CELTIS.

## XIX.

### AD GAGUINUM.

Miror, quae mihi sidera
  Nascenti implacido lumine fulserint,
O Gaguine, meum decus.
  Nam seu iure aliquo nostra negotia
Ignes aetherei regunt,
  Me primum teneras lumen ad insolens
Edentem querimonias
  Nec mitis rutilo sidere Iuppiter
Adspexit neque prospera
  Arrisit radiis mi Venus aureis.
Tantum Mercurius celer
  Adfulgens nitidis eminus ignibus
Adflarat sua munera.
  Sed stella vetuit falcifer invida
Volcanique minax rubens
  Rivalis calidus cum gelido sene.
Seu tres terrigenûm deae
  Fortunas triplici numine temperant,
Sum durissima stamina
  Sortitus: volucrem seu potius deam
Versare omnia credimus,
  Hanc in perniciem certe ego deierem
Coniurasse meam miser.
  Felicis mihi nec fata Polycratis
Nec Sullae precor improbus.
  Arpinas totiens consul iniquius

Fortunam insimulat suam,
  Quae tot prospera, tot dulcia paululo
Fermento vitiaverit.
  Ingrate ille quidem rusticus ac foro
Rerum nescius utier,
  Alternas dominae qui queritur vices.
Sat felicem ego iudico,
  Qui praesentia lenire potest mala
Actis prosperius memor
  Ac sperare iterum iam fore, quod fuit.
At me matris ab ubere
  Fati persequitur tristis et asperi
Idem ac perpetuus tenor.
  In me crediderim proruit improbi
Pyxis tota Promethei,
  Et quidquid stabulat triste vel asperum
Nigri in limine tartari.
  Heu quod simplicibus vatibus invidum
Numen, quis genius malus,
  Quaeve infesta novem Iuno sororibus
Sic nostrum caput impetit?
  O fatis genite prosperioribus
Bis Gaguine meum decus,
  Hunc si tu minime temnis amiculum,
Non totus fuero miser,
  Nec cedent gravibus pectora casibus.

DESIDERIUS ERASMUS.

## XX.

### AD IOANNEM LANGUM.

Iam ver amoenum dotibus aureis
Informat annum, iam viridi coma
Pubescit orbis, iam renidet
Omnis ager meliore cultu.

Natura rebus spirat et influit
Vis gratiarum luxuriantium,
Nativa ridentes Camenas
Fronde Venus viridi coronat.

Vides, ut omnis germinet arbutus,
Decus resumat silva nec areant
Flores, et arvales puellae
Serta legant, aviumque dulci

Percussus aër murmure consonet,
Concordia rerum variantium.
Hinc rivus agnatus susurro
Auribus Aonidum placenti

Salutat herbas, hinc virides aquas
Opacat arbor, parte alia viret
Gratum vel intonso sedile
Pieridum et citharae magistro.

Potes sub istas orbis amabiles
Latere dotes, semper et anxiis
  Curis potentum litterarum
    Sollicitam cruciare mentem?

Gaudet remissis Musa laboribus
Nec semper idem est impetus omnium
  Nec debet esse omnes per artes:
    Grata quies solet esse magnis

Alterna rebus. Lange, decus meum,
Decus bonorum, desere tristium
  Fomenta curarum labores,
    Si tibi nec grave nec molestum est:

Descende nobis, hic tibi dulcium
Sodalium liberrima copia
  Risusque grati noenu deerunt,
    Tempora ne periisse furtim

Sero queramur. Non redeunt enim,
Quaecunque labens abstulit hora, nec
  Nostrae quod abscedit iuventae,
    Restituet veniens senectus.

HELIUS EOBANUS HESSUS.

## XXI.

Quisquis aeterno violenta cursu
Otia exercet requiemque nullam
Rebus admiscet, nimia necesse est
    Mole gravari.

Sicut arentes nimio calore
Solis aestivi iuvat imber agros:
Saepe tempestiva graves levat re-
    missio curas.

Ut nec aeternum vigilare quisquam
Nec potest dormire, sed haec vicissim:
Sic suos cauta sapiens labores
    Temperat arte.

Quidquid alterna requie carebit,
Haud diu firmum poterit manere:
Haec novat vires, parat aegra iusto
    Membra labori.

Fessus audacem iuvenis palaestram
Linquit interdum repetitque, rector
Saepe mutatur mare, nulla semper
    Navis in alto est.

Ecce nunc plectro citharam canoro
Pulsat et raptam queritur puellam,
Arva nunc magnae spatiosa Troiae
    Lustrat Achilles.

Nunc bonis caros epulis amicos
Accipit, nunc merce rogata multa
Arma detrectat, fera nunc in hostem
Bella capessit.

Ille monstrorum domitor potentem
Fertur interdum posuisse clavam
Et sub invicto tenuisse mollem
Pollice fusum.

Cautus errantem tenuit phaselum
Nec fuit semper sapiens Ulixes:
Solus et semper sapit ille magni
Conditor orbis.

Nos decet quandoque vacare curis
Et parum stultos fieri et remissas
Ingenî vires recreare et aegri
Corporis artus.

Ille magnarum gravis ordo rerum,
Illa vis caeli superûmque virtus
Res agit nostras hominesque certa
Lege gubernat.

Nemo vim fatis volucrique caelo
Intulit, quamvis Deus illa nostris
Temperat motus precibus vetatque
Perdere terras.

Nemo praescriptum sibi transsilivit
Caelitus finem numerumque vitae;
Quidquid hic infra est ubicumque rerum,
  Pendet ab astris.

HELIUS EOBANUS HESSUS.

---

## XXII.

### AD EURICIUM CORDUM.

Satis dierum, Corde, fugacium
Tenore vitae trivimus anxio,
  Dum magnus obliquum pererrat
    Signiferum deus et propinqua

Salutat orbem luce Diespiter.
Trivisse metam nunc dubiam satis,
  Nunc tempus est summam peractae
    Reddere cum ratione vitae.

Si longa rebus tempora ludicris
Donare iuvit: pauca decet bonis
  Cessisse, ne, dum iussa divûm
    Neglegimus sacra, neglegamur.

HELIUS EOBANUS HESSUS.

## XXIII.

### AD AMICUM.

Ante Phoebeo cariturus igne est
Orbis et Lunae gelidos meatus
Nesciet liquentque tenebricosum
Sidera caelum,

Cancer arctabit spatium diei,
Porriget longas Capricornus horas
Lucis et noctis breviore meta
Tempora ducet,

Puppis ignotas teret unca terras,
Plaustra volventur liquidas per undas,
Piscis in silvis, aper in profundo
Pabula carpent:

Quam tui possim posuisse curam,
Sive quod sum nunc ero sive manes
Inter obscuris habitabo regnis
Pallida forma.

IOANNES NICOLAUS SECUNDUS.

## XXIV.

Iam ver praeteriit dulce nec amplius
Parvi caedem Ityli carmine lugubri
Plorat Daulias ales
Alta stans super arbore.

Iam solis radio Cancer inaestuat,
Iam fessus gelidas cum grege languido
  Pastor quaeritat umbras,
  Umbras, frigus amabile,

Et cuius radios ante cupiverat,
Vicino nimium plurima Cynthio
  Nunc convicia fundit
  Aestus impatiens gravis.

Sic, sic praetereunt tempora nec manet
Quidquam, sic fugiens cuncta rapit dies.
  Sic caelo placet: haec sunt
  Anni iura volubilis.

At quantum fuerat, quantum erat, obsecro,
Largiri miserae turbae hominum deos
  Solo vere suävi
  Uti posse perenniter?

Sic certe Elysiis vivitur in locis,
Uno perpetuo vere ubi perfruens
  Felix turba piorum
  Non soles capiti graves,

Non dirae segetem grandinis et nivis,
Non horret boream nec rabidos notos
  Nec tristes aquilones
  Uno flante favonio.

IOANNES NICOLAUS SECUNDUS.

## XXV.

### AD BONONIAM, ITALIAE CIVITATEM.

Musis amica, dedicata Gratiis,
  Flos urbium Bononia,
Seu culta mavis nuncupari Felsina,
  Utroque pulchra nomine:
Salve o venusta civitas, quam vitreo
  Rhenus pererrat agmine.
Iam quinta lux est, cum beatis moenibus
  Pedem coactus extuli
Marium meum Glauburgiumque candidum
  Laeva secutus alite.
Mutinamque vidi et Rhegium et ferocium
  Parmam virorum patriam.
Ut cervus ampla cum perambulat iuga,
  Dum saevit aestus impotens,
Suspirat uda rivulis cubilia
  Reconditarum vallium:
Sic te, misellus heu viator, intimo
  Desideravi pectore —
Dies amara, nox amarior fuit,
  Nox duri amoris conscia.
At nunc recurro, spes et o quies mea,
  Fessus medullis omnibus.
Testor deorum numen immortalium
  Iubarque solis aureum:

Non laetior carissimam reviserem
  Post lustra quinque patriam.
Vix cerno turres, incipitque maximo
  Cor exilire gaudio.
Animus liquescit uberesque lacrimas
  Dulcis voluptas exprimit.
I, sparge flores, i, meas, puer, tege
  Molli fores amaraco.
Quid otiosa murmuras vicinia?
  Non scire fas est omnia.
Salve o venusta ter quaterque Felsina
  Et incolas tuos bea.

PETRUS LOTICHIUS SECUNDUS.

## XXVI.

Fontibus Nymphae genus unde sacrum,
Quae salutares colitis recessus
Et scatens rivis nemus et calentes
  Sulfure limphas:

Ecce sescentas voveo coronas
Pro mei vobis reditu Stibari,
Ut suos vestris repetat penates
  Sospes ab undis,

Grande qui rerum columen mearum
Hic odoratas cithara per herbas
Dulce me curis iubet expeditum
  Fingere carmen.

Ipse, qua densas strepit inter alnos
Cynthius, molli residens in umbra
Vota persolvam cumulans sacratas
  Floribus aras.

Nunc maris rorem sat amaracumque
Et comas thymbrae dare, post et udas
Offeram myrtos et Apollinaris
  Germina lauri.

PETRUS LOTICHIUS SECUNDUS.

## XXVII.

### AD PETRUM LOTICHIUM SECUNDUM.

Petre, quo primum duce sacra Phoebi
Et novem vidi latices sororum,
Nos amor quando sociavit ambos
Martis in urbe,

Quem per obstantes aditurus Alpes
Et maris caecos fueram tumultus:
Cur tot inter nos iacet et locorum
Atque viarum?

Ultimos nam tu procul orbe nostro
Galliae fines habitas remotae,
Me fovet felix Tigurum beatos
Inter alumnos.

Forte, dum longum furit et cruentum
Pertinax Bellona quatit flagellum,
Quaeris, an nostra regione pax an
Bella morentur.

Otium nobis bona fata praestant,
Alma pax et rura Ceres frequentant:
Praeter hunc nostrum reliquus sed omnis
Dissidet orbis.

Iam frequens Turcis equitatur Ister,
Thraciae passim volitant sagittae,
Audit armorum strepitus Vienna,
Audit equorum.

Heu scelus nunquam satis expiandum:
Barbaros hostis cumulat triumphos,
Imperî captas inimicat urbes
Caesaris ira.

Quamdiu hostiles abolebit ignes
Civium sanguis? miser an colonus
Semper in silvis latitabit altis
Rure relicto?

Ergo ubi murus stetit et senatum
Civitas vidit dare iura plebi,
Mox feras antrum nemorale densis
Occulet umbris,

Quaeque fecundis operatus arvis
Bos iugo robustus aratra traxit,
Surget incultis seges alta spinis
Sentaque silva?

Scilicet ne tu patriae ruinam
Cerneres coram, procul exul erras,
Qua diem sol occiduus tepentes
Condit in undas.

O mihi tantum Deus addat orbis,
Insuper quantum satis est videre
Ferreos enses galeasque duro
Vomere versas:

Ultimus cum te mihi reddat orbis,
Iamque securus maris et viarum,
Gentium mores memores et urbis
Ordine visas,

Quasque sol terras medio profundo
Adspicit, quas Oceanus remoto
Summovet ponto tumidisque late
Distinet undis.

Hunc diem curru properante Phoebus
Suscitet: nunquam metuam deinceps
Debitam fatis meliore cura
Reddere vitam.

IOANNES FABRICIUS MONTANUS.

## XXVIII.

### AD BACCHUM, IN VINALIBUS.

Huc, huc virenti, Bacche pater, veni
Cornuta cinctus tempora pampino
Tecumque germana Aphrodite et
Coetus ovans tenerorum Amorum,

Rixae procaces atque hilaris Furor
Et mixta blandis Simplicitas iocis
Nec non verecundo decorum
Virgineus Pudor ore ridens —

An cum novellum vinitor aureae
Uvae liquorem pinguiculo e lacu
Te, Bacche, delibem vocando,
Sacro aberis tibi destinato?

Olim Camenae te duce maximum
Videre Gangen et Satyri leves,
Thyrsumque victorem subactus
Sensit Arabs opulens et Indus.

Qamvis placerent deliciae et chori
Et nox minutis ebria poculis:
Tu, bella si quando vocarent,
Fortis eras tamen impigerque,

Spectatus armis, cum Iovis aetheri
Ingens Typhoëus iniceret manus
Pindo Ossan imponens, merenti
Dulce tibi Euhius unde nomen.

Tuo incitatae numine Maenades
Caesim superbum Penthea differunt,
Ultore te saeva bipenni
Thrax sibi crura secat Lycurgus.

Te dum laborant fallere Lydii,
Delphines alto desiliunt salo
Et transtra mirati et rudentes
Vite racemifera virere.

Arcana cistis orgia mysticis
Portant quotannis Ogypides piae,
Nilique mensuram tumentis
Dant Pharii tibi rite, Osiri.

Torquatae echidnis Bistoniae nurus
Haemi vagantur per iuga ninguidi
Aurae sonantes et ferarum
Semineces epulantur artus.

Per colla crinis fusus eburnea
Molli et decoro corpore floridum
Exornat aeternum fluitque
Aurea palla pedes ad imos.

SALMONIUS MACRINUS.

## XXIX.

### AD EUTYCHUM PONTANUM.

Iam Maii aperta est, Eutyche, ianua,
Nidos hirundo construit, et redux
  Excita iam verno tepore
    Dat tenues Philomela cantus.

Molli foventur prata favonio,
Gemmant et herbis versicoloribus
  Luxuque crinitur comarum
    Ac foliis renovatur arbos.

Dum ver iuventae tu quoque floridae
Formosus annis in teneris agis,
  Ignara curarum tibique
    Luxurians adolescit aetas:

Fac, Eutyche, ipso flore renideas
Morum bonorum, antiquius et nihil
  Virtute praeclara sit unquam
    Ingenii docilisque cultu.

Aestatis ut cum mox veniet tuae
Matura messis cumque virilitas,
  Cornu refundat larga pleno
    Copia opes placitosque fructus.

Infructuoso nam tibi si ingruat
Bruma acris et te frugis inuberem,
  Heu, Parca crudelis recidat:
    In rapidum abicieris ignem.

SALMONIUS MACRINUS.

## XXX.

### NOVAEO REDUCI.

Quis claustra taetri carceris abdita,
Quis vincla tandem rupit aënea,
Plures quis amissum per annos
Restituit reducem Novaeum?

Nam te cavernis luce carentibus
Vinctum severis excubiis Iber
Horrens tenebat, ne solutus
Damna suis metuenda ferres.

Non tutiori carcere virginem
Servasse prudens Acrisius pater
Fertur nec audacem catena
Pirithoum gravior repressit.

Sed qui supremo numine temperat
Orbem, timores risit Ibericos:
Custode cum iussit remoto
Claustra patere tibi reclusa.

Sic liberatum nunc precibus piae
Gentis Novaeum reddit amabilem,
Uxoris et carum redonat
Fletibus egregiae maritum,

Qui magna ferret commoda patriae,
Qui damna pulsis adderet hostibus
Dicenda, bellorum peritus
Milite seu duce vellet uti,

Qui sceptra princeps Gallica sustinet.
Fecunda culpae saecula nobiles
Odere veros atque honore
Non merito decorant inertes.

Te cura Christi provida recreet
Reddens solutis compedibus, nova
Virtuteque auctum nunc amatis
Auxilium gregibus futurum,

Ardens recentis quos rabies lupi
Terret paventes, cum stabulis malum,
Quae dissipatos nunc receptant,
Saevior exitium minatur.

Tu, qui potenti numine supplices
Iniusta rumpens vincula liberas,
Serva benignus restitutum,
Poscimus, incolumem Novaeum.

IOANNES IACOMOTIUS.

## XXXI.

### AD P. FRANCISCUM BENTIUM.

Benti, nihil me, sicut antea, iuvat
  Pervigili studio nil profutura quaerere,
Nec quas per urbes cautus exciso Ilio
  Saxa Ithacae repetens Laertis errarit puer,
Nec quot Ithacenses pharmacis Circe potens
  Voltu hominum posito grunnire porcos iusserit.
Curae magis mi est, lustra iam decem miser
  Qualibus in vitiis defixus ipse erraverim:
Cum me Dei vix iam manente imagine
  Mortifera induerat foedam voluptas in suem.
Quis me sequetur fructus, ubi pernovero,
  Quot mala Graiugenis Achillis ira invexerit —
Si nesciam vesanus, in quae me mala
  Praecipitem ira Dei, nisi resipiscam, actura sit?
Hei mi laboris, heu dierum ac noctium,
  Quas memini in studiis me talibus consumere
Male metuentem, ne quis usquam aequalium
  Certius ac melius plures teneret fabulas.
Et tamen ab aequis non gravate improvida
  Iudicibus veniam fortassis aetas impetret.
Sed nunc columbis concolor cum sim caput
  Et mihi sarcinulas brevi legendas sentiam:

Nisi meliora mente tota cogitem,
  Bis puerum merito, Francisce, me vocaveris.
Beatus ille, quem iuventae in limine
  Abstrahit a vitiis ipse et sibi adstringit Deus.
Nec tamen habendus ille in infelicibus,
  Ad meliora Deo vocante qui venit senex,
Verum est·poëtae nobilis verbum vetus:
  Si bene quid facias, sero licet — prodest tamen.
Communi uterque gratias agat patri,
  Sors tibi prima data est, mihi secunda contigit.

MARCUS ANTONIUS MURETUS.

---

## XXXII.

### AD MARCUM ANTONIUM MURETUM.

Murete, me nunc sicut antea iuvat,
  Quae mihi quaeque aliis das profutura carmina
Expressa Sancti Spiritus molimine,
  His avidis oculis et tale quaeritantibus
Et lectitare et lectitando ediscere.
  Labitur inde mihi furtim humor udas in genas
Palam arguens quae pectus intrant gaudia,
  Pectoris exigui maiora claustris gaudia,
Conversa studio quando utriusque refricas.
  Grata utriusque Deo et mortalibus conversio.
Nam uterque nigro noctis e silentio
  Coepimus adspicere Christi benigna lumina.

Uterque noctis tum relictis artibus
  Depositis tenebris et arma lucis induit.
De te sed ipse multa deploras modis
  Flebilibus lacrimans et ad gemendum me vocas.
Eheu dolor, quid volnus antiquum novas?
  Iam memini miser, heu, quod poenitet, piget,
    pudet,
Cum vilis ancillae expavescens voculas
  Immemor officii Christum negavi saepius.
Gallo at canente cum me amico lumine
  Intuitus Deus est: prior mihi tunc mens redît.
Ad me ipse tandem triste post tempus redî
  Exiliensque foras laxavi habenas fletui.
Abstersit inde lacrimas Christus meas
  Speque data veniae perduxit in gregem suum.
Eduxit idem, quod fateris, improbae
  Servitio dominae et vindicavit te sibi.
Quid restat ergo? hortetur alter alterum:
  Nunc si aliquis gravior fortasse se offeret labor,
Feramus hunc, Murete, mente qua decet
  Atque ducem Dominum forti sequamur pectore.
Quodsi una utrumque ad vineam hora non vocat,
  Unus utrique tamen promittitur denarius.

FRANCISCUS BENTIUS.

## XXXIII.

Iucundioris dic age naeniae
Regina gratum Calliope melos
Ductura cessatum malignos
Ad citharae strepitum dolores,

Qui me Prometheae alitis in modum
Novis fatigant usque molestiis,
Qui nec dies nobis nec atras
Ire ferunt placide tenebras.

Obduro ritu cautis atrox tamen,
Quae vorticoso tunditur Hadria:
Obduro, nec mentem sinistris
Sustineo dare terga rebus.

Frustra: recenti nam trepidat metu
Haeretque vitae nescia mens suae.
Hei parce devotum marito
Vellere, Persephone, capillum,

Fatisque raptas, diva, refer colos.
Non praedo, non sum caede nocens ego,
Non vincar inquisisse praecox
Ante diem patrios in annos

Heres, profanae non Cereris sacrum
Volgasse plebi, sacrilegam aut manum
Incestus admovisse templis,
Non dominos violasse fasces:

Et pube leves pingor adhuc genas
Lustris peractis vix bene quattuor.
Fraudare quid primo racemum
Flore iuvat titulumque mortis

Habere crudae? Parce, precor, precor,
Triforme numen: sit satis impetum
Ursisse et in caput merentis
Tale nihil retudisse teli

Tonantis ictus. Atque utinam pavens
Nequiquam inani solliciter metu:
Iam paene bis quinos sed aeger
Ordine Luciferos peregi.

At tu recentis dulce periculi
Levamen aegro Calliope mihi,
Duc eia cessatum malignos
Ad citharae strepitum dolores.

IANUS DOUZA.

## XXXIV.

Ille est par superis deis
Et mortalibus altior,
Qui fati ambiguum diem
Non optat levis aut timet,

Quem non ambitio impotens,
Non spes sollicitat lucri,
Quem non concutiunt metu
Regum praecipites minae,
Non telum implacidi Iovis:

Uno sed stabilis loco
Volgi ridet inania,
Securoque oritur dies
Securo cadit et dies.

Vitam si liceat mihi
Formare arbitriis meis,
Non fasces cupiam aut opes,
Non clarus niveis equis
Captiva agmina traxerim:

In solis habitem locis,
Hortos possideam atque agros —
Illic ad strepitus aquae
Musarum studiis fruar.

Sic cum fata mihi ultima
Pernerit Lachesis mea:
Non ulli gravis aut malus,
Qualis Langius hic meus,
Tranquillus morior senex.

IUSTUS LIPSIUS.

---

## XXXV.

### AD BONAM VALETUDINEM.

O diva, dites quae regis insulas,
Praesens salubri temperie genus
Curare nostrum spemque praesens
Ludere praecipitem Charontis:

Te veste molli umbrata genas vocat
Ferox iuventus, te senii unicum
Levamen aegri, quos senecta
Vi tacita attenuavit aetas.

Te cunctae amicant sollicitae sibi
Suisque gentes, quaque oriens diem
Illustrat orbis, quaque pronus
Mergitur Hesperium sub aequor,

Formidolosa ne lue tabeat
Mortale saeclum, neu populos frequens
Emissus Orco lictor Orci
Vastet atrox spolietque luce.

Te mater ambit laeta Lubentia
Chorosque Cantusque et Charites manu
Ductans amica, nec Voluptas
Candida abest validumque Robur.

Te Liber et stirps Uraniae aureus
Sectatur Hymen nec latus abnegat,
Quocumque sub caelo caducam
Iapeti subolem alma visis.

At Tussis impura, at mala Febrium
Cohors facessit, diffugiunt pede
Tremente Morbi Morsque fundo
Exulat interiore Averni.

Serva cubantem Lipsium et ultimam
Extende metam, neu patere abditae
Antiquitatis occupatum
In studio ante diem fuisse.

Heu impiorum et nequitiae pudet
Avûmque. Quid non barbara polluit
Aetas? Quid intactum nepotes
Vidimus? Unde stilum magister

Inscitia effrons continuit? Cui
Pepercit auctori? Hoc utinam caput
Orbi supersit: ille priscis
Restituet decus omne Musis.

IANUS LERNUTIUS.

## XXXVI.

### AD AMOREM.

Amorem ocellis flammeolis herae
Vidi insidentem, credite posteri,
Fratresque circum ludibundos
Cum pharetra volitare et arcu.

Eheu pavore cor trepido salit
Mensque icta amoris numine devium
Lymphatur: eheu parce telis,
Parce gravi, puer acer, igne.

Fas inquieta sit mihi gaudia
Curasque dulces cuspidis et tuae
Votiva volnera atque amicum
Arte lyrae celebrare amarum,

Fas et parentis regna Amathusidos
Porrecta late dicere partaque
Tropaea de Titane et astus
Mulciberis male pertinaces.

Tu vim leonum, tu tigridum domas
Ceteque et uros perque acies truci
Dextra Gradivum fulminantem
Mitem animis placidumque reddis.

Tu post Gigantum terrigenam manum
Fusam, fugatam tela Diespitri
Irata tollis, tu relicta
Coniuge sidereisque regnis

Quandoque tauro dissimilem sui
Abdis vel auro: iam gelidis cycnum
Uris sub undis, iam salacem
Destruis in Satyrum aut in hircum.

Te bruta tellus, te maris aequora
Caelumque et invisi horrida tartari
Sedes veretur, te veretur
Ipse Hecate patruusque Pluto.

IANUS LERNUTIUS.

---

## XXXVII.

### ODE IN NATALEM.

Natalis aurae conscia me dies
Et tot reductis orbibus in caput
Iussere soles dedicatas
Ferre preces animumque caelo.

Ter ergo septem lubrica circulos
Evolvit aetas? quae steriles fuga
Protrusit annos? nos inertis
Tempora non reditura vitae

Amissa sero quaerimus: interim
Versatur aether, nec citior iugis
  Deiectus Alpinis Batavos
    Irruit et mare belluosum

Tot gentium per nomina, cum nives
Dimisit horror, Mauritiis nitens
  Rhenus trophaeis, quam fugaces
    Astra dies tenebrasque mutant.

Tenebit horas, dum licet, et sequi
Parcet querelis, qui sapientior
  Fatigat ardentem iuventam
    Consiliis et adhuc negantes

Invadit annos. Da veniam, parens
Aeterne, munus si periit tuum:
  Tu ferre caelestem dedisti
    Effigiem neque de pudendo

Nasci parentum sanguine, sed quibus
Avita virtus notaque gloria —
  Utcumque praesentem fatemur
    Posteritas meruisse culpam.

Quin et valentem corpus et indolis
Cepit beatum non famulans humus,
  Quem sacra libertas quietum
    Pasceret et patrio vocaret

Sincera cultu relligio. Sed heu
Contaminati incuria saeculi
  Aeterna corruptrix gravique
    Segnities onerata luxu

Mersere rectum. Tu semel excita
Cordis veternum, tu iuvenilibus
  Exsolve delictis prioris
    Flagitii bene paenitentem.

Scis quo redemptum iure piaverit
Insons magistri poena. Precor, precor,
  Da luce natali novatam
    In melius properare vitam,

Ut mens superbi conscia gaudii
Immota rerum non paveat vices,
  Seu poscor in leges et acri
    Iura foro populique rebus

Partire curas, seu melius fuit
Mandare seris acta nepotibus
  Atque interim grates sonanti
    Dulce lyra tenuare carmen.

HUGO GROTIUS.

## XXXVIII.

### IN OBITUM INFANTIS CUIUSDAM.

Dum nos misellos undequaque strenua
    Exercet hic inertia
Stantes euntes navigantes iugiter,
    Qua se Diespiter negat
Rursumque surgit, dum nefandas patriae
    Manus lavamus sanguine
Ob haec caduca vana noxia et nihil
    Plane e polo trahentia;
Mors Christianis semper accepta omnibus,
    Beate, te rapuit, puer,
Sub orsa vitae patris e complexibus
    Et caelitum adduxit patri.
O filium te plus quam amabilem, patres
    Quem sic amaverunt duo,
Ut alter hinc te tam reposceret cito
    Et alter aegre redderet.

MARTINUS OPITIUS.

## XXXIX.

### IN OBITUM CELSISSIMAE PRINCIPIS LIGNICENSIS.

O clara divae stella Silesiae,
Heroa coniux, impete quo tibi
Nil tale quidquam cogitanti
E mediis properante fato

Aufertur ulnis, dum superest catae
Fervor iuventae nec roseus fugit
Candor genarum? Iure maestis
Numina sollicitas querelis

Demptasque luges delicias memor
Harum sodalis, quas thalami trahit
Dulcedo, rerum: sed protervus
Cuncta feret per inane Corus.

Ius quippe leti sanctaque vis deûm
Quemquam reverti post obitum vetant
Ad nos in has orbis minantes
Interitum putridi ruinas.

Nobis terenda est haec quoque semita:
Iusto sorores stamina pollice
Cum fluxa deducunt, virili
Interea tolerare sortis

Multum frementis tela animo decet,
Certos nec isto nos stabiles solo
  Durare semper nec perenni
    Compositos recubare terra.

MARTINUS OPITIUS.

---

## XL.

### DE AGRO NEAPOLITANO.

Quis me liquentum caerula nubium
Raptim secantem quisve deûm notos
  Nimbosque tranantem aestuosos
    Sistat agens laribus paternis?

O laeta apricae prata Bataviae,
O Rheni ad undas graminei tori,
  O mite Lugdunum, o relictae
    Certus amor validusque terrae,

Ut cor peruris! vos, comitum manus,
Heu, candidorum turba sodalium,
  Quîscum serenos saepe soles
    Aoniae fidis illecebra

Duxi beatus! Nunc videt exulem
Campana Tusco Doris ab alveo
  Myrteta lustrantem otiosae
    Parthenopes et odora Tempe,

Sive hinc Pelasgae rura Dicarchidos
Seu, quo sepultus Tros tubicen, iugum
Litusque praetextum Lucrino et
Sulfureis geniale Baiis

Calcare lassor, seu sterilem hinc locum
Fumisque et atro vortice torridum
Phlegranque damnatam per aevum
Fulmineos glomerare nimbos,

Qua trux trisulcum missile Iuppiter
Adflati adactum visceribus soli
Contorsit in fractos gigantas,
Terrificae monumenta pugnae —

Sive hinc paludem specto Acherusiam,
Cunctis natandae vestibulum Stygis,
Ripasque sub terram meantis
Nunc avibus placidas Averni.

Hinc culta Iaccho quid memorem iuga,
Quid Phoebo amatam fatidico specum
Foetasque responsis latebras,
Euboïcae penetrale vatis?

Sedem hinc nefandi quid Tiberî canam?
Quid fixam in altis Inarimen vadis,
Cui membra suppostus Typhoëus,
Quid tumulum Procyten Mimantis?

Vidi et perustis horriferum iugis
Late Vesevum nuper amabilis
Hinc terga vestitum Lyaei
Germine, Palladia hinc oliva,

Cum volvit igneos asper anhelitus
Telluris alto Mulciber e sinu,
Ruptique concussis cavernis
Culmina dissiluere montis.

Obsessus aether sulfurei globo
Nimbi intonare: hinc saxaque cerneres
Undamque flammamque ac vaporem
Aërias super ire turres.

Mors hic per agros, hic lacrymae et fuga,
Iamque hausta dirae cuncta voraginis
Occursu: at Oenotras per urbes
Attonitae emicuere matres.

Experte stagnis, quid tumidum secas,
Heinsi, profundum? ne temerarius,
Ne crede rupturis procellis
Invalidae tabulas phaseli.

Dircaea non te Cecropio patri
Enixa mater, non tulit entheis
Boeotus Ismenos fluentis
Icariae intrepidum ruinae.

Dum cursu arantes invia siderum
Non aemulando persequitur deas,
  Deiectus ex aethra Pyreneus.
    Tutus humi leviorque lapsus.

Quin plectra tentas ad Batavos redux
Olim penates: non ego cognitis
  Maiora de magnis locutus,
    Non dubii metuendus oris.

O quae relicto gaudia tum patri,
O gratulatis quanta sodalibus!
  Huc adde Rhenani hauriendos
    Pro reditu cyathos Lyaei.

NICOLAUS HEINSIUS.

---

## XLI.

### THERMAE HIRSCHBERGENSES.

O fons Hygeae sospitis arbiter
Praesens calentis vi laticis graves
  Sanare morbos spemque torvi
    Ludere praecipitem Charontis,

Te purpuranti picta colit rosa
Malas iuventus, te calido expetit
  Voto senectus, aegritudo
    Quae vetulo est fragili perennis.

Te pauper optat sollicita prece,
Te dives ambit, cum podagrae improbus
Vexat dolor fixum grabato,
Atque tuos inhiat liquores,

Formidolosa ne lue concidat
Mortale corpus neu subito hoc Styge
Emissus atra lictor Orci
Sternat atrox spolietque vita.

Te visit ultro blanda Lubentia
Festos amores et Charites manu
Ductans amica nec Voluptas
Dulcis abest Geniusque laetus.

Sed dirus hydrops acris et ischias
Tussisque cedit, diffugiunt pede
Nutante febres, morsque nigra
Teque tuosque timet recessus.

Salve salutis tutor amabilis,
Salve medelae Paeoniae tenax,
Quam sulfur ardens nutrit intus
Ignifluis atomis redundans.

O funde lymphas e calido sinu
Semper salubres, semper Hyge tuis
Praesit scatebris, dum propinquus
Arva fluet per aprica Zacus.

IOANNES FECHNERUS.

## XLII.

### AD IOVEM.

Iam coloratis reduces ab Indis
Post tot exhaustos pelagi labores
Vertimus proram tumido daturi
Lintea ponto.

Iuppiter — nam te duce tot repostas
Vidimus gentes, tua nos imago,
Puppe quae tutela sedet suprema,
Duxit euntes —

Iuppiter, ventos, bone, da faventes,
Da, pater, ventos facilemque cursum,
Nosque nec tristis vetet ire Nereus
Foedave caelo

Missa tempestas. Satis o, procellae,
Huc et huc quassas agitastis alnos,
Cum ferox in nos furiaret atrum
Aeolus aequor.

Sic, simul dulcis patriae relictos
Pressero portus, tibi, sospitator
Iuppiter, curvo feriam nitentem in
Litore taurum.

Addam et insigni memores camena
Gratias, si quid meditabor olim,
Aure quod dignum fuerit Latina
Et Iove dextro.

IANUS BROUKHUSIUS
in nave, cui nomen
Iuppiter.

---

## XLIII.

### IN VINDEMIAM ANNI MDCLXXVI.

Iam sinu pinguis sua dona pleno
Fudit autumnus, tenerique sucum
Palmitis pressans nova condit acer
Musta colonus.

Iam fluunt largis pretiosa rivis
Vina, iam laetum lacus haurit imbrem,
Unde distendant operosa totas
Dolia cellas.

Largus apricos amicire colles,
Bacche, lascivis virides corymbis
Sume, quos pubes tibi vovit omnis
Rustica ludos.

Te venenatum meditatus ictum
Palmiti placet caper inquilino,
Tingit en cultros verubusque stridunt
Exta colurnis.

Te vocat festis operatus aris
Vinitor multo petulans cachinno,
Plaudit incompto tibi feriatus
Carmine pagus,

Mollibus circum spatiosa gaudet
Pinus oscillis, madidus recenti
Rusticus musto sibi certat unctos
Ire per utres,

Ridet argutae ioca nuda turbae et
Simplices lusus, hyalo virentem
Explicans peplum viridique honestus
Crine Mosella.

Ille te prono veneratur amne,
Levis o Nyseu, sua ne Falernae
Uva decedat neque Formianae
Pampinus umbrae,

Neve nascentes populet racemos
Saeva tempestas violensve gemmas
Verberet grando nimiove Titan
Ardeat aestu.

Tu, pater, magno moderare caelo
Alteram in messem meliore semper
Sorte pubescat generosa largo
Vinea foetu.

IANUS BROUKHUSIUS.

# XLIV.

CHRISTIANO GOTTLOB EINERTO
civitatis Lipsiensis consuli
die 2. mart. a. 1821. memoriam semisaecularem adepti iur. utr. doctoratus celebranti I. A. O. Gehler et I. C. Sickel.

Quae cuique Clotho stamina neverit,
Prudens profunda nocte tegit deus
Caecique gens terrena vitae
Ambiguis fluitamus undis.

Hic vix in oras luminis editus
Migravit umbras visere pallidas,
Illum viros inter decorae
Muneribus validum iuventae,

Seu magna versat mente negotia
Sollers agendi et civibus utilis,
Seu Martiis fortem sub armis
Vis tetigit necopina fati.

Paucis vocantem fine sub ultimo
Metam senectae tangere contigit
Ac teste longaevi laboris
Fronde sacra viridis coronae

Cingi merentem canitiem et caput
Multis amatum: quos populus favens
  Carique circumstant amici et
    Macte iterumque iterumque clamant.

Talem ante multos, o bone, te, senex,
Monstrat videri, quae micat aethere
  Lux a tuis orsis honorum
    Lustra decem revoluta claudens.

Fausto dierum en, accipe, dediti
Donare cordis quod pietas potest,
  Neu vota tu neu sperne grates
    Tempore promeritas ab illo,

Cum te forensem quae ratio virum
Formaret et qui iudiciis modus
  Esset regundis, explicantem
    Aure sumus cupida secuti.

Tu nos paterno consilio gravis
Auctor regebas, tu tua comiter
  Sub tecta ducebas benignis
    Alloquiis placidoque voltu.

Idem repertus pectoris integri
Collega fastus atque superbiam
  Arces neque in duros rigescis
    Fascibus imperiove mores.

Ergo precamur: munere caelitum
Laetus fruare et primitias tuae
Laudis recentantes sereno
Adspicias oculo sodales,

Felix iuventae principiis, magis
Felix senectae limine, cui datum
Videre gratantes amicos
Dimidio fugiente saecli

Patresque civesque atque tuum genus
Natosque multi nominis et nurus
Palmisque captantes tenellis
Oscula dulcis avi nepotes.

GODOFREDUS HERMANNUS.

## XLV.

AUGUSTUM MEINEKIUM
decedentem ex Gymnasii Regii Ioachimici praesidio
valere iubent collegae.
Berol. a. 1857.

Ergone vatis sic nimium pias
Rupit feroci Parca manu preces,
Magnumque in annum quas parabam,
Praeripuit capiti corollas?

Ceu vota verno luxuriantia
Comante ramo subruit arboris
Nocturna nudatum relinquens
Vis boreae sine veste truncum.

Cedes tuorum nunc socio lare:
Non, crede, cedes pectoribus, licet
Deserta Suevus mox fluentis
Moenia flebilibus queratur.

Haerebis omni, quidquid erit, loco,
Seu regiae rex magnanimus scholae
Mavis vocari sive lenis
Imperii pater atque custos

Seu tu Minervae pervigil in sacris
Praesul potenti divitis ingenî
Vena vel oblectans cathedram
Floridus eloquii magister.

Ne, Musa, tantae laudis adoream
Tempta: volatus Icarios fuge et
Herois enisi sub astra
Suspicias humilis meatum:

Vel, quod potes, fac carmine lugubri
Erepta nobis grande decus fleas
Fulcrumque rebus, quo steterunt
Nixa salus speciesque digna.

Qui nunc lacerti quassa tot asperis
Fato ruinis moenia fulcient
Casura iamiam, ni valebunt
Herculei retinere nisus?

Cui non ab uno debilis ordine
Clavo revolso navis erit latus
Datura rectori novatum
Per vada, per scopulos vehendum?

Aut quis propinat larga medullitus
Imbuta dulci flumina nectare,
Dum vel Sophoclei cothurni
Plena deo reserat sacella,

Vel Bandusini fontis amabiles
Mille adfluentes deliciis aquas
Enarrat et iunctas decentum
Cum Satyris Charitum choreas?

At clariores Bandusiae vitro,
At suaviores quam Charitum chori
Ipsius ex imis fluebant
Pectoribus sine faece sensus

Et plena pandens carbasa veritas
Victrix, aperti seu libuit maris
Tractare curas subve portu
Adloquio recreare nautas.

Quo, Musa, pergis? saevior ingruens
Doloris aestus vela retro dare,
Praesensque quod deposcit hora,
Ferre iubet pia vota divis.

I, quem parentem, quem colimus deum,
Vir laude maior, quem sibi vindicat
Aevis futuris consecratum
Gloria per populos revecta;

I, grande nostrae praesidium scholae,
Quae suscitatos ungula equi tui
Miratur amnes, quos bibisse
Mille iuvat memores alumnos;

I, quo deorum praemia te vocant:
Tranquilla carpas Palladis in sinu
Repensa longo pro labore
Otia cum superis beata.

Quae tot per annos indocilis mori
Accensa Phoebo flamma litaverat,
Extincta, cum adflabit supremo
Leniter ipse deus, quiescat.

MAURICIUS SEYFFERTUS.

---

## XLVI.

### AD COMMILITONES MARBURGENSES.

Colles amoenos nonne academicam
Vallem videtis cingere nobilis
Instar coronae? Suavitatem
Multiplicis studii figurant.

Nolite longum quaerere. Fulgidae
Vos litterarum divitiae undique
Laete salutant: 'apprehendas,
Et quod habere cupis, tenebis.'

Quocunque gressus dirigitis, novae
Fontes profundos en sapientiae
Vobis apertos. Hic videre est,
Quid ferat in gremio universa

Tellus, quid altus contineat polus,
Antiqua mundi saecula quid velint,
Quid nostra poscant, nationes
Quae monumenta suae crearint

Vitae sequentem progeniem ad bonum
Ductura, quod ius condiderint sacrum,
Quo gentium totum per orbem
Sint animae fuerintque nexu —

Quamvis acerbe dissideant — tamen
Miro ligatae, quem viridaria
Linguae repandunt publicaeque
Nos sophiae docet ars profunda.

Quis cuncta fando praedicet? Omnium
Vobis abundans congeries micat,
Supraque gentes ex eoo
Litore conspicitur salutis

Lux exoriri. Flumina cernitis
Augusta vobis volvere limpidae
Fluctus aquae. Nunc est bibendum,
Nunc positis genibus per altos

Haustus petenda est unica veritas. —
Quid? stas? inertem quae dubitatio
Seducit? an maiora censes
Sensibus illa tuis tuaque

Virtute? Nunquam lumina forsitan
Vertisti ad istud luciferum vigil
Sidus, diei spem futuri?
Nocte malueris opaca

Curvas plateas cum sociis sequi
Gressu vacillans? Prospice, ne vagum
Te caelitus labens Orion
Confodiat gladio furente.

ERNESTUS RANKIUS.

## XLVII.

### AD LEOPOLDUM FRATREM.

O frater, alto quem reverentiae
Sensu atque amoris prosequor intimo
Ardore, me ad chordas canentem
Aure libente precor sequaris.

Num Serbiani nos generis sumus?
Num forte prisco tempore de locis
Triballicis huc immigrarunt
Nostri abavi, propria relicta

Affinitate in Kragujebatico
Saltu? an paternae pars animosior
Gentis Thuringam respuendo
Bellogradum petiit superbum,

Germana proles? ut simul hic, simul
Illis remotis in regionibus
Nostrae domus electa membra
Res agerent? Savus ac Morava

Grataeque valles montis Omoljici
Et Jastrebati culminis, Haemicae
Silvae propinqui, Rankiani
Nominis indigenum sonorem

Novere, priscis quae populus canit
Innexum amica carminibus lyra.
Quid? divitem heroem perenni
Rankiaden celebrant honore,

Virtute clarum munificumque, quem
Iuxta stupendae vestibulum domus,
Sodalium ut largam benigno
Hospitio exciperet catervam,

Plantasse dicunt magnificam arborem
Argenteam ex radice, sed auream
Ramis, coruscas margaritas
Pro foliis, rubeisque alentem

Pro fructibus miranda coralia!
Sicut columbae consitum agrum petunt,
Sic sponte convivae huc volantes
Regificis dapibus fruuntur,

Iustisque promptum laudibus hospitem
Caelorum ad auras fortiter evehunt.
Dilecte frater, num licebit
Huic citharae propriora nobis,

Germana, cantu pandere? Salveas
Plantator alter frugiferae arboris,
Insignioris convocator
Symposii, meliorque gazae

Partitor! Illi Serbiaco sua
Sit laus viro. Nos plura requirimus,
Quam nectaris vim, quam ciborum
Congeriem. Ambrosia repletas

Lances dedisti et das cupientibus.
Quae Veritatis fontibus assidens
Fausta manu hausisti, refusa
In pateras nitidas, quibus non

Sunt pulchriores ullibi, porrigis
Nobis et orbi. Quem tibi comparem
Mensae frequentatae decore
Et pretio dapis apparatae?

Te, cui beato iam viget altera
Colentium aetas, ut videat tuum
Voltum sequens, caeli creator
Firmet et obtegat et coronet.

ERNESTUS RANKIUS.

# LIBER ALTER.

## I.

### AD GERMANOS.

Sint alii, medicina quibus sit cura perennis
  Et doceant aphorisma fideles.
Sint, qui iura ferant et pulchris legibus urbes
  Reges cum ducibusque gubernent,
Inter quos fueras primus, Heimburge Georgi,
  Cognato mihi sanguine iunctus.
Sint, qui sacra deum doceant populumque ferocem
  Per patriam nostram erudientes.
Sint alii variis referentes cultibus artes
  Quae corpus decorent animumque.
Unica cura mihi Latias inferre Camenas
  Et Grais fidibus resonantes.
Quo si non placeam vivus, post fata tamen me
  Indefunctus honor manet aevo.

CONRADUS CELTIS.

## II.

Quid tantis strepitat Graecia laudibus
Invenisse suis ingeniis canens,
Qua natura potens lege coerceat
  Caeli fulgida sidera?

Non est inferior, credite, Daedalo,
Aut qui Cecropias protulerat notas,
Ex Moguntiacis civibus editus
  Nostri gloria nominis:

Qui sculpsit solidas aere citus notas
Et versis docuit scribere litteris,
Quo nasci utilius non poterat magis
  Cunctis, credite, saeculis.

Iam tandem Italici non poterunt viri
Germanos stolida carpere inertia,
Cum nostris videant crescere ab artibus
  Romae saecula litteris.

Quae tandem Aemilio gratia Maximo
Solvenda est? genitus qui patre Caesare,
Sub quorum imperio crevit et extitit
  Nostris ingenium viris.

CONRADUS CELTIS.

## III.

### AD FRIDERICUM IMPERATOREM,
cum filium imperio sufficeret.

Phoebe Rhiphaeos aditure montes
Adferens noctem brevioris umbrae
Lenta sub caelo rigido reformans
Gramina pratis,

Taurus aestivo propior Coluro
Nascitur tecum referens tepores,
Pleiades sentit pluvias resolvi
Lampade Phoebi.

Hinc caput voltum rigidus novatum
Mundus, et plaustrum sinuans utrumque
Anguis algorem positurus alto
Sole calescit.

Terra profuso tepido liquore
Parturit laetos vegetata flores
Cum suis stellis radiata splendens
Caespite vivo.

Non minax vastum Boreas per aequor
Obvius saevit violentus Austro
Sorte luctando timida moventes
Proelia ponto,

Exiens sedes modo sed beatas.
Spirat in terris Zephyrus tepenti
Suscitans flatu taciti sepulta
Semina mundi.

Sentiunt gratas animata flammas,
Foedus adsciscunt subolis creandae,
Quo per aeternum stabilitur aevum
Mobilis orbis.

Induunt primas elementa formas
Ignis et tellus et amarus humor,
Et modo splendet propiore Phoebo
Purior aether.

Caesarem nostrum cupiunt movere,
Qui renascentis caput extat orbis,
Consulat nostris Latiisque rebus
Iam prope lapsis.

Pace Saturnus legitur quietos
Primus in terris populos tulisse,
Aureum sub quo fuerat per orbem
Principe saeclum.

Iuppiter regni patrii potitus
Non patris ritu moderavit orbem.
Hos supra caelum tulerat vetustas
Laude decoros.

Nostra te iunget superis sed aetas,
Regiae clarum subolis parentem,
Maximo nomen cui gesta linquent
Aemiliano.

Bella moturos potuit Gigantes
Iuppiter summo prohibere caelo
Fulminans hostem Siculo sepultum
Vertice flammis.

Sic tuus regni capiens habenas
Filius crudum reprimat tyrannum,
Qui lares nostros petit et penates
Cuncta profanans.

Repetat Graiam sapiens ruinam,
Conterens hostem nimio furentem,
Alta pax terras habeat sub omni
Sidere caeli,

Quae vel algenti riguit sub axe
Vel per Eóos calefacta frenos,
Quosque Sol fessus repetit vel Auster
Imbrifer urget.

Caesar, aeterno memorandus aevo,
Necte frondosi mihi serta lauri
Delphico signo rigidum decorans
Carmine vatem.

CONRADUS CELTIS.

## IV.

### AD AQUILAM DE MOTU CAESARIS.

'Armiger alte Iovis, mundi timor, incluta virtus,
Quos ruis in populos?
Quo se mitis amor, quo se clementia vertit,
Quaeque fuit pietas?
Arma gerit mundus, pax est turbata per omnes
Priscaque rupta quies:
Movit causa viros, furibundae in proelia gentes
Te duce bella gerunt,
Ira duces et caedis amor, fastidia pacis
Una iniere tuos.
Inclute terrarum ductor, spes summa tuorum,
Alte amor, alte timor,
Quos trahis eventus animo? quas concipis iras,
Cuive nocere paras?
Quas affligis opes, aut quod, fortissime regum,
Destruis imperium?
An mortale tuis peius requiescit in alis
Te fruiturque genus?'
Haec quisquam irata nimiumque nocere parante
Quaesiit ex aquila.
Rettulit illa viro 'Causam illinc Gallia pugnax
Praebuit, hinc Veneti.

Saepe quidem Venetis, quamquam exagitata, peperci,
Cum peterent veniam;
At Gallos etiam meritis et viribus auxi:
Non retulere vicem.'
Vix ea commemorans totas consurgit in alas,
Nunquam ita terribilis.
Cui se tot populi iuxta passimque secuti
Applicuere duces:
Heu male consultum Venetis Galloque ruenti,
Quos necat iste furor.

ULRICHUS HUTTENUS
MDXIII.

V.

CAROLO V. ROMANORUM IMPERATORI CORONATO.

Adeste, magni progenies patris,
Musae, potenti carmina Caesari
Cantate, quae fides priorum
Hactenus haud tetigere vatum,

Quae saxa rursum, quae moveant feras
Aquasque sistant blanda volubiles,
Quae mulceant aures canore
Omnium ubique hominum suävi.

Gaudete cives, plaudite, plaudite,
Gaudete, quotquot terra tenet bonos,
Curasque tristes atque acerbos
Pellite pectoribus dolores.

Sumpsit sacrato debita vertici
Post tot moras tandem diademata
Ille optimusque maximusque,
Ille vagum domiturus orbem.

Erro? anne vati talia fervido
Sagax futuri Cynthius indicat?
Quaecunque suggeris, precamur,
Ut Superis rata sint, Apollo.

Et noscat ortus, noscat et occidens
Unum potentem Caesara Carolum,
Quo mitius clementiusque
Nil dederuntve dabuntve saecla:

Non si recurrant tempora, quae Iovis
Ferunt parentem, falciferum senem,
Rexisse, cum Fides Sororque
Iusta pio superesset orbi.

Ergo querelas ponite lugubres,
Ergo repostum promite Caecubum:
Haec, haec dies, haec est choreis,
Haec rutilis decoranda flammis.

IOANNES NICOLAUS SECUNDUS.

## VI.

### AD PETRUM BEMBUM.

Sol, qui luciferos regit iugales,
Iam vertentis iter peregit anni,
Cum maestis elegis tibi querebar,
Quod Germania dissideret armis,
Et qui Pannonium subegit Istrum,
Nobis barbarus immineret hostis.
Infando patriae dolore tactus,
Quales cogor habere nunc querelas?
Nam civilia bella quae paravit
Multos dedita litibus per annos,
En Germania tota nunc in armis
Taetrum Marte gerit furente bellum.
Ducens Caesaris hinc soror cohortes
Pugnas conserit ac virago duris
Hostem cladibus afficit Sigambrum.
Illinc efferus arma Danus infert,
Et quem Saxones expulere nuper,
Guelfus signa movere rursus ardet
Ulturusque suos putatur hostes.
Heu quantum parit hic mali tumultus,
Et quantum patriae facit dolorem.
Princeps namque meus Getas ab Istro
Totis Pannoniae fugasset oris,
Haec si pestiferi procella belli

Tempestasque coorta non fuisset:
Nunc inglorius est domum reversus,
Laetum nec potuit referre saevis,
Quem sperabat, ab hostibus triumphum.
  Praeter bella sed horridasque clades
Passim tanta furit lues per urbes,
Qualem rege sub Aeaco vetustas
Narrat Oenopios dedisse leto.
Quin et pascua fertilesque campos,
Per quos Odera spumiferque Suevus
Molli labitur impeditus ulva,
Grassantes populantur hic locustae
Instantique famem minantur anno.
  At quid singula persequor querelis?
Nos pessumdedit Ilias malorum.
Ergo a tristibus absit ut periclis,
Romanam meus hinc sodalis urbem
Longum suscipiens iter petivit.
Est sincerus, honestus, eruditus
Ac te diligit omnibusque praefert
Doctis, Bembe, nepotibus Quirini.
Hunc commendo meum tibi sodalem,
Summa proque tua benignitate
Complectaris ut hunc amanter, oro.

GEORGIUS SABINUS.

## VII.

### AD CAROLUM V.

Sceptro relicto et fascibus imperî
In gloriosam tendis Hiberiam,
Ut, quidquid aevi transigendum,
Carole Quinte, tibi supersit,

Ducas quieto laetus in otio,
Ab implicatis rebus omissior.
Iam Ferdinandus frater omne
Pondus onusque humeris subire

Ut ante promptus Caesareum gerit
Sceptrum imperator, iam diademate
Solus potitur Teutonesque
Arbitrio regit unus aequo,

Tranquillitati perbene consulens
Pacique cunctis publicitus datae,
Quacunque degant lege, quaeve
Municipî data iura servent,

Nullis adacti vivere vinculis
Aut obligata serva pati iuga, at
Impune libertate digni
Moribus et patriis fruisci.

Tu vindicandis relligionibus
Ni curam inanem nec regionibus
Ullos anhelandis licebit
Amplius Herculeos labores

Impendere optes, attamen haud queas
Vita senecta non reminiscier
Persaepe praeclaras Gradivi
Praeteritis operas in annis

Fortique gestas milite res graves
Totam per Europam atque per Africam:
Ex quis Philippus rex superstes,
Progenies tua, plurimarum

Exempla virtutum ut merito potest,
Sic debet ultro sumere, non quidem
Ad insolentem, turpe! fastum,
Sed generosam imitationem;

Non ad perenni dignum odio malum,
Crudelitatem sive tyrannidem,
Sed lenitatem; non ad arma
Denique caeca tumultuanter

Arrepta et ausu pertemerario,
Sed pacem amicam et commoda publica
Sanctamque regnorum salutem
Et bona concilianda quaeque.

Res ulcerosa est imperium, nisi
Labes facessant: sana bonos duces
Regesque nunquam perdiderunt
Consilia incolumesque leges.

PAULUS MELISSUS.

## VIII.

### AD PACEM.

Mitis filia maximi Tonantis,
Cuius iam Batavi cruenta septem
Per quinquennia nesciere nomen,
Da nobis veniam, quod ille alumnus
Bellorum populus, sati sub armis
Et quorum clipei fuere cunae,
Externis toties dolis petiti,
Quorum non meminisse tam suäve est,
Quantum oblivia sunt periculosa,
Securique diu timore solo.
Quam mens tota cupit petitque, nondum
Audemus tamen invocare pacem.
At tu semina disparata mundi
Certo foedere quae vetas perire,
Belgis redde fidem soloque fruges,
Cives moenibus amnibusque merces:
Aut nondum bona tanta si meremur,
Illos vincere da, benigna, bello,
Qui belli sibi quaesiere finem;
Illos da, dea, pessime perire,
Qui per foedera quaesiere bellum.

HUGO GROTIUS.

## IX.

### ANAPAESTI
### IN KALENDAS IANUARIAS ANNI MDCXXI.

Tandem lentis passibus annus
Hic quoque vitae per tot fragiles
Casus querulae bellaque totis
Mundi late diffusa plagis
Tetigit fixae tempora metae.
Eheu quanta rabie ferri
Mars Teutonicos lacerat campos,
Totque suorum miseris tellus
Infausta madens cladibus altas
Probat offensi numinis iras.
Hic Maurorum probrosa cohors
Scelerum totos agitat cumulos,
Hic gens ipsis gravior Mauris
Nec dura minus rigido saxo
Audet proprios impete toto
        Perdere fratres.
O qui vasti caerula mundi
Vada fulmineo terrore quatis,
Qui crudeles instar cineris
Saevo dominos turbine difflas:
Exsere dextrae tela potentis
Pressisque minis semivirorum
Tandem rabidos subverte dolos.

Sat tartareae probra cohortis
Infanda tuum laesere gregem,
Sat sanguineas dedimus poenas.
Quidquid sontes punire potest,
Pertulit orbis. Cur sub pedibus
Calidae semper caede cruentis
Iaceant plebis, pater, arma tuae?
Parce, precamur, parce nec ultra
Has livoris succende faces.
Si consilium vertimus ipsi
Vitaeque piget toties pridem
Nequiter actae: fata precando
Sine nos etiam superare tua.

MARTINUS OPITIUS.

---

## X.

### AD URBEM LEUCORIN HYMNUS SACER NATALITIUS.

Cui lacrimarum non oculi scatent
Genaeque molles? Cui miserabiles
Plorare singultus molestum,
Stelliferi ut moderator orbis

Titan amictus syrmate lugubri
Hucusque sidus condidit aureum
Atraque frontem nube tectus
Tot nebulis caput impedivit

Septentrionis grande decus gemens
Orbisque lumen deficere alterum,
Dum denuo cristas tyranni
Surrigere atque superba colla

Saevi allaborant? Occidit, occidit
Augustus ultor, flebilis omnibus,
Servire qui foedum recusant,
Praecipue tibi Leucori almae.

Redire soles praecipites queunt
Annusque laetas rursus agit vices:
Ille ille inexoratus orbem
Et dubias bene liquit oras,

Fortuna regnum mobile ubi tenet,
Caeli potitus siderea domo.
Hic floret aeterno triumpho
Laurigero potiore curru.

Compesce lamenta et lacrimis modum
Nil profuturis pone. Magis, pia,
Numen benignum concelebra
Et faciles miserantis aures

Cunasque nati, quem neque vertili
Suspensus aether fornice flammeus
Nec splendor aeterni decoris
Aut patriae similis potestas

Tenere novit: praeminet omnibus
Et vincit ardor debilis, ah, luti
Et criminum non aequa moles
Vinculaque inferius parata

Trucesque poenae. Desilit ocius,
Mortale corpus ut geminet sibi
Camposque squalentes coloni
Ruraque pigra coaequet astris.

Ergo ille castae pusio virginis
Duris revinctus fascibus eiulat
Mortalium infaustos labores,
Et tumidum atque ferocientem

Apprensat anguem nil trepidus, manu et
Quamvis tenella strangulat, ut technis
Centum relabi doctus aegre
Sustineat sinuare caudam.

Quid nunc minores, docta, animos geras?
Quid dura saevi nubila temporis
Et triste conspirantis hostis
Attrepides, Witeberga, robur,

Quem posse vinci plus vice simplici
Respersa vidit Misnia sanguine?
Nec si universus pugnet orbis,
Vicerit hic pietate vera

Caeloque fretos. Quare agite et novis
Mactate Patrem laudis honoribus
  Clarosque adornantem triumphos
    Progeniem superi parentis,

Et laeti et expertes sceleris mali:
Post et ministros muneribus piis
  Solamini largi, ut ne inanem
    Forte manum lacrimentur aegri.

AUGUSTUS BUCHNERUS MDCXXXII.

---

# XI.

MANIBUS FREDERICI GUILELMI MAGNI.

Qui luctus aut qui planctus ab ultima
Auditur Arcto? quis gelido sonus
  Ab axe, quod ferale murmur
    E media venit urbe Brenni?

In se coactis nubibus hispidus
Nigrescit aether, diffugiunt polo
  Nunquamque non visi videri
    Solliciti renuunt Triones.

Suspirat imo conditus alveo
Visurgis, omni gurgite turbidus
  Luget Viadrus, luget Albis
    Et querula lacrimantur unda.

Caelo minantes urbs Berolinia
Submittit arces. Ingemit, ingemit
Longumque dispergit colorem
Hercyniae per opaca silvae.

Lugubris antris e nemoralibus
Respondet Echo, dant gemitum procul
Montesque convallesque, maestum
Per Batavos sonat aura campos.

Ergo perenni flebilis omnibus
Sopore vinctus nunc iacet incluta
Stirps illa Brenni, fama gentis,
Fama sui, Fredericus, aevi.

Heu quantum ab illo dissidet hic viro,
Quem saepe belli pulvere sordidum,
Cruore quem belli madentem
Finitimae tremuere gentes.

Te sensit olim Sarmata, te Scythes,
Te Marte clarae rura Borussiae,
Te natus ad bellum Suëvus,
Te Geticus, Frederice, mundus.

Victrici inumbrant fronde tibi comam
Polona laurus, Ferberolinia
Te cingit implicatque palma,
Te viridi Stralesunda vinclo.

Te Ruga terris omnibus, omnibus
Te narrat oris Stettinium, tua
Adserta dextra: te recepti
Marte tuo memorant Borussi.

Te laude semper laude recens nova
Nunquam caducis vestit adorea
Borussa ramis, tot tropaeis,
Tot spoliis gravis ac triumphis.

Pacata te Germania vindicem
Agnoscit ultro. Te veteres super
Extollit heroas novosque,
Te supera locat arce Virtus.

Non ulla sistunt te iuga, flumina
Non ulla: magno tu ruis impetu
Per tela, per flammas, per ipsum
Cuncta hieme glaciante pontum.

Tu militares — credite, posteri —
Per congelatum frigore Balticum
Ducis cohortes territasque
Attonitos necopinus hostes.

Tu, Christiani nominis incluta
Tutela, turmis auxiliaribus
Tuaque fortuna tuisque
Auspiciis opibusque magni

Iuvas catervas Caesaris, asperi
Pars magna belli: robore militum
  Illius invictae tuorum
    Moenia procubuere Budae.

Tu subiugatis Marte tuo trucem
Nunquam exprobrasti victor adoream,
  Lenisque pacatusque captas
    Restituis generosus urbes.

Tu saeva mutas tela ligonibus,
Tu pace bellum, pacis amans bonae,
  Priorque lauro pulchriorque
    Est oleae tibi termes omni.

Tu laeta terris otia Teutonis
Largiris, artes urbibus, improbis
  Messem colonis, aes egenis,
    Iura foro, populo Parentem.

Voltu benigno, lumine tu bono,
Ad clausa nulli limina supplices
  Admittis exaudisque cives,
    Par populo similisque princeps.

Tu mente pura, pectore candido
Sola colendum mente colis Deum:
  Huic nomen immortale, cunctos
    Huic titulos pius, huic triumphos

Adscribis omnes, hoc duce et auspice
Tu iusta pugnas sanctaque proelia
Tendisque in hostiles catervas
Nec gladios metuens nec hastas.

Ad bella ituros Thracia tu duces
Quamquam excitatos sponte sua tuo
Hortaris exemplo tuisque
Extimulas animasque verbis.

Te corde gestans ac monitus tuos
Discedit agmen, moenia transsilit
Tuique non oblita frangit
Indomitam tua turba Budam.

Secunda praesens bella alius gerat:
Tu vincis absens, dumque manes domi,
Foris triumphas et Gelonas
Ore fugas animoque turmas.

Tu bella, princeps, inter et aspera
Virûm arma menti templa struis bonae
Martique coniungis Minervam
Et profugas Helicone Musas.

Te Francofurtum gurgite proximo,
Te Mons Borussus Saxaque Regia,
Te Teutoburgum Civiaeque
Munificum celebrant Camenae.

Tu vasa, gemmas, signa, numismata,
Tu mille passim et mille volumina
Inquiris usque colligisque
Magnifico potiora sumptu.

O laude, princeps, inclute bellica,
O Christianis inclute laudibus,
O litterarum! longiore
Digne colo niveoque filo!

Rerum parenti visum aliter Deo:
Nempe est eundum, cum vocat. Illius
Cedis voluntati Deoque,
Quod dederat Deus ante, reddis.

Tu mortem eodem lumine conspicis,
Quo ductor hostem, non timidus mori,
Turbamque circumstantem et omnes
Morte doces moribundus ipsam

Sprevisse mortem, quam penitus nigro
Damnavit orco, qui prius innocens
Salute pro nostra nefandam
Ipse obiit subiitque mortem.

O omne vitae per spatium tuae,
O morte clarum! Fortis et impiger,
Utque imperatorem decebat,
Stans moreris, Frederice Princeps.

Relinquis arcem tu Beroliniam,
Relinquis urbem, sed simul et tui
  Magnumque mansurumque linquis
    Civibus ac populis amorem.

Te tota flet Germania, maximus
Te plangit undis Danubius suis;
  Te Mosa, te Rhenus bicornis,
    Te Batavi lacrimantur omnes.

Te militaris, civica te cohors,
Te plorat omnis Pieridum chorus,
  Te plorat ipsa dissolutis
    Relligio Pietasque vittis.

Maeret peremptum prae reliquis patrem,
Quem maior urit, quem propior dolor,
  Hucusque solamen doloris,
    Digna suo genitore proles.

Hic mente, princeps, hic animo tuus
Caeloque lapsi viribus ingenî
  Te digna molitur paratque
    Regifico tibi busta sumptu.

Dolore scissis vestibus in tuo
Procedit omnis funere civitas,
  Ducesque militesque versis
    Exsequias comitantur armis.

Longo sequentum duceris agmine
Ad destinatum principibus locum
Sedesque maiorum superbas,
Marmorea tumulandus urna.

Te tollit urna, qua licet: omnium
Per ora spargit te suboles tua
Tuasque virtutes per orbem,
Per populos iubet ire cunctos.

Oblivioso te tumulo eripit,
Quae sola fortes carmine Pieris
Aeternat heroas suisque
Nobilium monumenta chartis

Signat virorum. Surgite, surgite,
Novem sorores, tendite barbiton
Patremque vindicemque vestrum,
Quo meruit, celebrate cantu:

Vos eruditum dicite principem,
Vos sempiternis tollite laudibus
Virtutis heredem paternae
Composito genitore gnatum.

PETRUS FRANCIUS.

## XII.

### FREDERICO III MARCHIONI BRANDEBURGICO CAESARIS INSULA EXPUGNATA.

Invicta Brenni progenies, patri
Par gnate Magno: pectore enim tuo
Spirare virtutes paternas
Fatidica cecini Camena

Non vanus augur — tu placidas foves
Ut ille Musas, tu colis asperum
Ut ille Martem subruisque
Cuncta tuis metuendus armis.

Testis mearum Caesaris insula
Sententiarum, praetereuntibus
Rerum ille spectator tuarum
Testis aquis fideique digno

Rhenus fluento. Marte simillimum
Tuique veram te subolem patris
Haud laudis ignarus paternae
Veridico probat amne Rhenus.

Urbem occuparat Caesaris arduam
Ferocientis militiae manu
Ridente Fortuna superbus
Iura negans sibi nata Gallus.

Cingebat illam milite, machinis
Omnique belli robore Mars tuus,
Frustra: reservatur domanda
Illa tuis, Frederice, palmis.

Relinquis oras, nec mora, patrias
Longoque tractu dissita transvolas
Ut fulgur, ut princeps volantum
Praecipiti Iovis ales aethra.

Laeta ut cupitum castra vident ducem,
Maiore nisu quisque suae palam
Dat signa virtutis ruitque
Per medios animosus ignes.

Ducit volentes ipse volens suas
In arma turmas, moenia circuit
Spectatque collustratque princeps
Praepetibus loca cuncta plantis.

Succedit urbi protinus hosticae
Altamque nimbis undique ferreis
Oppugnat arcem, primus ipse
Urget opus reliquosque iusta

Accendit ira. Mille supervolant
Hinc inde glandes: mille minantia
It tela contra, iamque inermem
Iam trepidam fugat ense Mortem.

Opponit armis arma, viros viris,
Germana turmis agmina Gallicis,
  Suos fatigatis: cruentus
    Funeream dolor implet urbem.

Quacunque vertas lumina, plurimi
Rotantur ignes, plurima fax domos
  Incendit, horrendo tumultu
    Cuncta sonant gemituque longo.

Lux quarta nondum fulserat, impetu
Cum fractus hostis continuo tuis,
  Dux magne, succumbit sub armis
    Et domitam tibi pandit urbem.

Excedit agmen: moenia copiis
Relicta supples tu melioribus,
  Victisque de Gallis triumphum
    Victor agis, Frederice, primum.

Salve deorum germen et aemula
Nulli domando progenies patri,
  O clara Germani propago
    Sanguinis Auriacaeque gentis.

Proludit ista scilicet hoc tibi
Campo legendis laurea laureis:
  Hoc nempe maiores triumphos
    Fata dabunt aliasque multo

Illustriores, victor, adoreas.
Tu perge tantum, perge age, quo tua
  Fortuna, quo virtus parentum,
    Quo tua te iubet ire virtus.

Te militari pulvere sordidum
Clarasque belli primitias tui
  Horisque tam paucis subactam
    Attonitus stupet orbis urbem.

Immensum honori, qua sit iter, novo
Pulchrumque monstrat gloria tramitem:
  Mox Rhenus omnis liberatas
    Ense tuo tibi sternet undas.

Se debet armis, nec negat hoc, tuis,
Debet, soluto quod suus alveo
  Fractisque Gallorum catenis
    Cliviacos secat amne campos.

Agnoscit illud Clivia, proximo
Agnoscit illud rure Batavia,
  O grande nostrarum, tuarum
    Grande decus columenque rerum.

His macte princeps, macte laboribus,
Mundumque, ductor Martie, cum tuo
  Partire cognato: Britannos
    Ille Caledoniumque vindex

Contra ingruentes Borbonii minas
Tuetur orbem, tu propius tuis
Defende Germanos catervis,
Tu socios tueare Belgas.

PETRUS FRANCIUS.

---

## XIII.

### IN NATALEM FREDERICI III.

Quot spectacula, quas ubique pompas
Et quantam segetem novis triumphis,
Princeps maxime, quaeque festa portant
Natales tibi Iuliae Kalendae!
Haec est lux tua, qua dei faventes
Nil unquam melius dedere terris,
Qua longum populi frementis agmen
Nil felicius imputat Tonanti.
Et nunc illa eadem stupente mundo
Enatum pariter dedit Lycaeum
Clarum, nobile, te parente dignum.
Talis de patrio prius cerebro
Armata exsiluit repente Pallas.
Lux o inclita duplicique partu
Aeternum Clariis notanda fastis,
O dives, Frederice, dos tuorum,
O diri rabie furente belli

Faustorum bone temporum reductor!
Tu caeli faciem tenebricosi
Clemens lumine puriore vestis,
Tu ferri mala saecla de metallo
Priscum munificus vocas in aurum,
Te Victoria nobilesque Palmae,
Te clarat niveis Honor quadrigis,
Te doctis Helicon sonans et antris,
Musarum memorande sospitator,
Lucis omnibus, omnibus viretis
Brandenburgiacis tumet tropaeis.
Longas, dux bone, ferias Camenis
Et partam populis tuis salutem
Praestes, supplicibus rogamus omnes
Votis ac timidae favore linguae.
Longos o utinam benigna soles
Extendant tibi Fata prosperentque
Largo foenore, sorte liberali
Natales tibi Iulias Kalendas.

IANUS BROUKHUSIUS. MDCXCIV.

## XIV.

### AD EVERARDUM DANKELMANNUM.

Dankelmanne, tui dextera principis,
Seu te consilio sive probas fide
Invictoque animi robore nobilis
Nostri Nestora saeculi,

O quem te memorem, gloria Virginum
Doctarum, Aoniis Palladium viris
Et, quos Praxiteles protulit aut Scopas,
Clararum arbiter artium!

Per te Pierio purior e specu
Currit prociduis vorticibus latex
Et lauros meritis praemia frontibus
Dulci murmure proluit.

Per te magnanimi principis aureum
In Belgis etiam praeradiat iubar,
Maiestasque ducis Brennigenae in sacra
Fulget plurima imagine.

Illum non humili dum meditor chely
Late conspicuis tollere honoribus
Ac fultam titulis armipotentibus
Magnisque imperiis domum:

Proludat tenui nunc mea barbito
Clio et Pieriis tempora floribus,
Heros magne, tibi cingat amabili
Nostri munere Apollinis.

Olim te comitem principis arduis
Sistam consiliis, sive furentium
Celtarum rabiem contudit et feras
Gentis indomitae minas,

Seu Muhamedici cornua Bospori
Fregit, seu media Martis in area
Pacis nobile opus condidit et novas
Urbes addidit urbibus.

Talis Caesarei consilii potens
Antiquae celeber sanguis Etruriae
Maecenas patriae detulit omnia:
Nil, praeter meritum, sibi.

IANUS BROUKHUSIUS. MDCXCIV.

## XV.

### EVERARDO DANKELMANNO.

Salve nobilium decus virorum,
Magni maxime principis minister,
Dankelmanne, tuae domus tuaeque
Gentis gloria, quo Sicambra tellus,
Quo Germania nunc superbit omnis:
Salve Castalidum decus sororum.
Te res Teutona Beroliniumque
Gaudet praeside maximusque princeps,
Magni progenies superba Brenni.
Tuis consiliis tuoque ductu
Princeps optimus usque crevit et iam
Dolis, insidiis malaque fraude
Et discrimine liberatus omni
Securus solio sedet paterno.
Tu belli moderator atque pacis
Pacis artibus artibusque belli
Cives instruis et laboriosa,
Ut stellas humeris Atlas, torosis
Rerum pondera sustines lacertis.
Tu leges populo novosque cultus,
Tu mores populo tuos dedisti.
Per te cana Fides Pudorque, per te
Descendit Themis aureumque saeclum
Et mundi facies redit prioris.

Tu moles operum polo minantes
Lapsas erigis, excitas recentes,
Iamque pulchrius elegantiusque
Urbis tecta nitent suumque lumen
Iactant aëriae sub astra turres.
Tu fines domini tui per omnes
More principis aureique solis
In omnes pariter benignus oras
Docto principe sic iubente doctis
Passim virginibus patrique Phoebo
Aedes extruis omnibusque longe
Saxis marmoribus perenniora
Venturo monumenta ponis aevo.
Tu viros ubicunque litteratos,
Tu dulces Heliconios alumnos
Largo munere congiarioque
Ipso principe sic volente donas.
Salve, Castalidum decus sororum,
Salve nobilium decus virorum,
Magni maxime principis minister.
Te Germania, te Sicambra tellus,
Te Phoebus pater et novem sorores,
Dankelmanne, canant tuumque nomen
In mundi latus omnis ultimosque
Spargant carmine posteros poëtae.

PETRUS FRANCIUS.

## XVI.

### SAMUELIS PUFENDORFII MEMORIAE SACRUM.

Gentibus Arctois et mundi cognitus oris
Pufendorfius ultimis
Funere crudeli fatoque ereptus acerbo
Hoc sub marmore conditur.
Luget eum Carolus, luget Fredericus et omnis
Brenni exterrita civitas.
Noverat Europam, populisque quid utile, quid non,
Mentis lumine viderat.
Illius historiam moresque artesque regendi
Viva expressit imagine.
Iustitiae et legum primordia, iuris et aequi
Designavit originem.
Martia Güstavi certamina bellaque seris
Scripsit Teutona posteris.
Hei mihi, Brennigenae dum texit principis acta,
Acta principis incluta,
Substitit et pariter calamum pariterque relinquit
Vitae lumen amabile.
O quantum interiit rerum, Frederice, tuarum;
O quantum sapientiae
Civilis, quantum antiquae virtutis et artis
Urbs Berlinia perdidit.

PETRUS FRANCIUS.

## XVII.

### IN OBITUM SAMUELIS PUFENDORFI.

Rarum doctrinae miraclum, nobilis umbra,
  Heroïbus permixta temporis boni,
Pufendorfe, tuis semper maturior annis
  Et mentis alta lucidus semper face:
Te raptum invidia superûm — sic credere fas est —
  Musis ademit dura Parcarum manus,
Ne foret in terris, qui gesta illustria bello,
  Qui pace mores conderet facta probos.
Scilicet auxisti numeros, vir magne, piorum:
  Plausere manes et coronati chori,
Elysiae plausere animae. Tibi Silius acer
  Simili peremptus peste gratat obvio,
Atque Antenoreï simulacrum nobile Livî
  Facundum amico pectus amplexu terit.
Hic autem maerent casti, te vindice, mores,
  Hic iura maerent sorte nascendi data,
Gestarumque manu servatrix pagina rerum
  Et masculi vigoris eloquentia.
Tum, quod praereptae lucis solamen honorum est,
  Hic Fredericus maeret ipse Tertius.

IANUS BROUKHUSIUS.

## XVIII.

### IN REGIAM DIGNITATEM IN BORUSSIA A FREDERICO III ELECTORE BRANDEBURGICO SUSCEPTAM.

Regnata prisco regna Brutenio
Et Videvuthi sceptra prius manu
Gestata fortuna favente et
Auspiciis superûm secundis

Haeredis acrem Brennigenae manum
Rursus decorant ac Fredericios
Regale circumvestit aurum
Lumine conspicuo capillos.

Salve bonorum nuntia caelitum
Lux alma, salve tot populis dies
Iucunda, tot forti Borusso
Laeta dies, repetita votis.

Tu sceptra nullis uncta cruoribus
Hero potenti, tu sine praeliis
Stantem columnam, tu quietum,
Tu placidum diadema portas.

Quamquam citato carpere iter gradu
Praegestientem turbine flammeo
Hucusque nec miti flagello
Detinuit homicida Mavors.

Te dives anteit Copia fertili
Succincta cornu, te Cerealibus
Evincta culmis Faustitatum
Laeta cohors dominam salutant.

Electra Tethys Baltica mollibus
Evolvit algis, mella capacibus
Ceris Aristaeus novumque
Deproperat calathis Lyaeum.

Incensa multae sidere purpurae
Forti lacerto vellera fert Pales
Prussi gregis formosum amictum
Muricibus medicata Prussis.

Applaudit alto flumine Vistula
Laetusque amoenis Bregela fontibus,
Fusaeque in herbosis Borussae
Naïdes adsonuere ripis.

At tu deorum cura potentium,
Rex magne, tantum cui licuit boni
Struxisse de privo tuumque
Inque tua ditione regnum

Fundasse nullo munere debitum,
Nullis revinctum conditionibus,
Hoc macte virtutis tropaeo,
Macte tuis generose sceptris —

Quodsi vetustis in titulis decus
Relucet ingens ac speciosius
  Effulta maiestas avorum
    Nominibus radiat potentum:

Et tu — quod omnis, qua patet, arbitra
Europa vidit, quod sibi traditum
  Mirentur exemplum nepotes —
    Rex poteras sine lite nasci.

Oblata pridem — nota loquor — licet
Aulae volentis ac popularium
  Clamore votorum petiti
    Sprevit avus genitorque regna,

Imago quantae quanta modestiae!
Tibi faventis magna manus Dei
  Dilata praeclaris priorum
    Praemia promeritis rependit.

Te militaris sidus adoreae,
Te Christianae praesidium rei
  Agnoscit et miratur Arctos
    Et Boreae plaga lata duri.

Te Cirrha multo numine lucidum
Reponit imis in penetralibus,
  Interque caelestes patronos
    Aoniae cecinere lauri

Insigne nomen, tu pretium ingenî
Obliteratis reddis honoribus
Artesque et extorres fideli
Accipis hospitio Camenas.

O restituti nobilis otii
Auctor, feroci cognite Concano,
Quem lora captivis lacertis
Ferre tuae docuere dextrae

Inusitatis fulmina iactibus,
O magne vindex Iustitiae, polo
Demisse custos o sereno
Legibus innocuaeque Paci,

Serves Borussum nomen et inclitae
Momenta gentis, sive opus est manu
Seu mente res poscunt, amicus
Albioni et populo Batavo.

IANUS BROUKHUSIUS.

## XIX.

**ACADEMIAE REGIOMONTANAE**
**altera sacra saecularia 27. aug. a. 1743 celebranti**
**academia Georgia Augusta.**

Extolle sacrum de tumulo caput,
Circumfer olim condita lumina,
Alberte fortis, o Borussûm
Dux bone progenitorque gentis,

Quae Noricorum ex arcibus excita
Felix perenni post varias vices
Res Brennoburgi Limitemque
Imperio moderatur aequa.

Audit. Videtis, quantus Eques ruit?
Horrendus hosti, praesidium suis:
Circumspicit, miratur, orbem
Inque alium putat esse lapsus.

Magnos nepotes Sarmatico videt
Nexu solutos: sceptra Borussica
Gentes vereri Vandalorum,
Imperio Vinidos Salanos

Et Clivios et nomina plurima
Adiecta gaudet. Sed sapientia
Fortunae magni Friderici
Par animum subigit stupore.

Ergo Viadrus, qua fluit, integer
Iam noster? ergo provida mens fuit,
Quae fecit, Albi, te Viadro
Humida bracchia contulisse.

Iam noster ergo Thetin Amasias
Per Frisiorum pinguia culta adit!
Haec inter heros ad parata
Se duce regna oculis relatis

Cernit Camenarum faciles choros,
Quas Regio olim Monte locaverat,
Bisaeculari pro salute
Solvere vota Deo parenti,

Et conditoris nomen amabile
Laeto sonantes carmine perpetim
Alberte! Alberte! integrare et
Tradere post genitis canendum.

Quot delitescunt tecta silentio
Et nocte longa magnanimum ducum
Cum laude quondam perpetrata,
Carmine quod caruere docto?

Tu, Musa, vitam fortibus et bonis
Post fata servas, tu prohibes mori.
Divina mens hoc Friderici
Perspiciens fovet auget ornat,

Qui sentit illam se sapientiam
Debere Musis, quas sibi nectere
Scit laudis aeternae coronam.
Hac sine, quam facili perirent,

Quae nunc libris mandata fidelibus
Et, quas colit Mons Regius, artibus
Ad sera nomen Friderici
Saecla ferent superis remistum.

IOANNES MATTHIAS GESNERUS.

---

## XX.

### AD MANES DOUSIACOS.

Dousiaci manes et magni nominis umbra —
Sive astra certa permeas,
Seu via te, caelo quae lucet clara sereno,
Sedes deorum, detinet —
Ecquid crudeles gemitus et flebile murmur
Venere ad alta sidera?
O si nunc etiam curas humana tibique
Est cara, ut olim, patria:
Quali te dicam affectum maerore Deoque
Quales preces effundere!
Leida ab Iberorum frustra tentata catervis
Virtute Dousae nobili,
Leida, ubi fixerunt Heliconia numina sedem
Ducente Dousa et auspice,

Infandum tulit et nunquam medicabile volnus,
Commune toti patriae.
Ergo ubi Leida fuit, segetes volventibus annis
Manus secabit rustica?
Templaque sancta Deo pascent et tecta iuvenci
Bonis dicata litteris?
Di prohibete nefas! cives prohibete Batavi,
Huic et malo succurrite.

PETRUS HOFMANNUS PEERLKAMPIUS. MDCCCVII.

---

## XXI.

### CARMEN SAECULARE ACADEMIAE LIPSIENSIS

d. 4. dec. a. 1809. quintum saeculum solemniter auspicantis.

Descende sedes sanguinis inscias,
O Musa, linquens et nimium diu
Deserta vastatae cruentis
Caedibus arva revise terrae,

Revise notae moenia Lipsiae
Et culta puro corde sacraria
Latumque honoratis per orbem
Nominibus celebrem palaestram.

Nam saecularis lumine candido
Dies renatus ducere iam choros
Monetque non venale carmen
Liberiore sonare plectro

Priscamque Boiae tollere laudibus
Urbem Libussae dissidio gravi
Iactatam et egressas catervas:
Unde novos tenuit colonos

Dilecta Phoebo Lipsia plurimam
Mirata pubem et laurigeros duces,
Mirata et Ottonem recenti
Agminis imperio potitum.

Quem magna longis ordinibus cohors
Secuta vitae lampade tradita
Urgetur aeterno sopore,
Nil nisi quo veniemus omnes

Praegressa. Quamquam, dum bona singulos
Mater reposcit terra, fidelium
Stat res virorum intacta plagis
Omnia dissociantis aevi.

Aevum latenti momine temporis
Diem diebus, saecula saeculis
Addens retractari negante
Arbitrio moderatur orbem

Nunc firma servans, quae temerarios
Ausus malignae fraudis et efferos
Odere fastus, nunc ab alto
Culmine deiciens potentem

Turpi ruina. Cernit enim nefas
Auditque iudex additus inferis,
Quisquis sub orco congregatis
Conqueritur novus hospes umbris

Seu sancta fidae foedera dexterae
Contempta narrans sive malam sitim
Auri tumescentisque diros
Luxuriae memorans furores

Martisve dicens insatiabiles
Rixas et atri flumina sanguinis
Per prata, per campos virentes
Fusa trucesque necis figuras:

Quali tumultu nuper inhorruit
Concussus orbis, cum propero gradu
Bellona tellurem pererrans
Puniceum quateret flagellum,

Qua dura sensit proelia Sarmata
Adusque Gades, exitialibus
Armis ubi iratus rebellat
Cantaber indocilis domari.

Quin et parentis Teutoniae genus
Magno resurgens vidimus impetu
Tentare fortunam fugacem et
Luctificas iterare clades,

Quam paene nostris contiguas focis,
Cum pervicaces non sine numine
Turmae propinquarent nigrique
Dux equitis, generosus exul.

O clara Pragae filia, te suam
Praesens tremenda protegit aegide
Regina Pallas, te benigno
Lumine respiciunt Camenae

Arcentque sacro limine barbarum
Hostem, proterva ne violet manu
Stantem quater centum per annos
Teutoniae veterem magistram,

Quam nunc beatam iustitiae tenax
Sceptrum gubernat principis optimi,
Gubernet et seros in annos
Incolumemque potente dextra

Conservet addens praesidium grave,
Pravus decorem ne vitiet situs
Antiqua neu moles fatiscens
Quadrifidae titubet columnae

Neve aut honores immeritos ferat
Tardae dolosus fucus inertiae
Aut nullum adulans vera virtus
Exiguo lare pulsa cedat.

Dissolve curam et sollicitos metus:
Florebis, artes donec erit sacras
  Quae palma claret, donec acris
    Insita pectoribus cupido

Caliginoso tramite terminos
Veri flagrabit tangere, dulcium
  Donec repertricem modorum
    Helladis ingenuae loquelam

Discet Britanno non minor aemulo
Germanus et vim pandet amabilem
  Quondam sonaturum deabus
    Aonio Helicone vocum.

Florebis et post non secus ac prius
Sempervirenti plurima gentibus
  Dicere crines cincta lauro
    Nobilium genetrix virorum,

Lux veritatis Lipsia posteris,
Princeps sororum: dum populos deus
  Levare fessos et furentis
    Frangere tela velit duelli.

GODOFREDUS HERMANNUS.

## XXII.

**ALEXANDRO RUSSORUM IMPERATORI LIBERATA EUROPA REDUCI**

**litterarum in universitate Lipsiensi cultores m. Iulio a. 1814.**

Non ante visis ausibus addita
Mosquae vetustis plurima. Pergamis
Cum flamma regales per arces
Corriperet laqueata tecta,

Exarsit acri volnere percita
Mens alta magni Caesaris et Satis,
Dixit, ruinarum: severus
Ultor ero scelerisque vindex.

Hinc excitatas horrida vidimus
Ad bella gentes confluere undique
Durisque permixtos Gelonis
Ire sagittiferos Bechiras

Teque, o nivalem qui Tanain bibens
Confisus hastae cuspide, caetera
Securus, effusis iubatum
Certus equum moderare frenis.

Venit Borussus nec patiens morae
Alta repostas mente resuscitat
Iras et omnes arma clamant,
Arma gravi metuenda Gallo.

Venere ab Istri flumine Martium
Longa subacti militia genus,
  Ensemque commutans aratro
    Boius habet nova miles arma.

Quin transmarinas iungere maximo
Ardens duello Suecia copias
  Venit fatigatumque frangunt
    Cladibus assiduis tyrannum.

Eheu rubentes sanguine vidimus
Undas Elystri, vidimus improbam
  Stragem et cruentis sparsa campis
    Corpora et exuvias virorum:

Quum victus hostis cessit et omnibus
Clarata saeclis Lipsia liberae
  Princeps, Io, dixit, triumphe
    Teutoniae cupidusque Saxo

Mutavit hostem signaque contulit
Infesta Gallis. Unde ferocior
  Bellona iam torquet flagellum et
    Cum Bavaro parat arma Suevus.

Iamque et Batavi proelia concitant
Et roboratos Marte Britannico
  Dux magnus invictos Iberos
    Laude iubet cumulare laudem.

Quid multa? Sensit milite barbaro
Devictus audax accola Sequanae
Iramque divorum pavescens
De patriis trepidavit arvis.

Sed stans sua vi vera potentia
Spernit, quod ultra iustitiam est, neque
Permittit insontem malorum
Non meritas tolerare poenas.

Dicende seris magne nepotibus
Tu mite, Caesar, consilium probas
Et pristinos reges avito
Restituis revocasque regno.

Idem, scelesto cum furor hosticus
Teneret igni moenia Lipsiae,
Lenis pepercisti novenis
Laedere templa sacrata Musis.

Quin et potentem consilio virum,
Qui dira belli Saxonibus mala
Levare curaret, dedisti,
Praesidium o columenque nostrum.

Unum precamur: restituas Patrem
Reddasque nobis, hei nimium diu
Desideratum, quem fideli
Corde memor populus requirit.

GODOFREDUS HERMANNUS.

## XXIII.

### IN NUPTIIS FRIDERICI AUGUSTI DUCIS SAXONIAE SOCII IMPERII ET MARIAE BAVARAE

**d. 24. apr. a. 1833.**

**academia Lipsiensis.**

Saxonum Fortuna, tuum vocamus
Numen, o regina, veni iugali
Fridericique et Bavarae Mariae
Pronuba sacro,

Et sinu quae fers bona dona pleno,
Largius promens ades auspicato
Foederi testis veniensque in aevum
Provida custos.

Quid magis Regis placidam senectam,
Quid magis fratrem potuit beare
Regis et cives geminata regni
Sceptra probantes,

Quam novas cum vinxit amor catenas,
Ut soror caram traheret sororem
Fratris et frater sequeretur omen
Auguriumque?

Audiunt famam proavi sub orco
Caesares magni geminumque vinclum,
Temporis prisci decora ac potentis
Robora regni,

Una cum nomen tuba convocabat
Omne Germanum et galeatus ibat
Ipse communi sacer imperator
Obvius hosti

Principesque inter solio sedebat
Aureo iudex gravibusque summus
Arbiter causis procerum atque iuris
Conditor aequi.

Inferis illas animas in umbris
Altius cristas video comantes
Tollere et praesaga oculis serenis
Fundere verba:

Ergo aperte di populum tuentur
Remque Germanam, domus una si stat
Saxonum binis Bavarisque binis
Fulta columnis.

Unde venturis orietur annis
Signifer magnis animosus ausis,
Consili promptus rigidique Martis
Acer in armis,

Moris antiqui veterumque patrum
Gloriae vindex sociis sub una
Lege Germanis et ad aspra fido
Foedere firmis,

Regibus recti monitor severus,
Subdolae si quis volet arte suadae
Laedere aut iniusta ferox ciebit
Bella tyrannus.

Illius, si sic superis statutum est,
Ne nimis longe remorentur astrum
Temporis neu dira sinant videre
Monstra minores.

Nube nam sacrum caput obvolutus
Saeculi versat genius profunda
Mente nascendi taciturnus aevi
Spemque metumque

Anxius, quo caeca feratur oestri
Vis novas rerum paritura formas
Pervicax antiqua nimis protervo e-
vertere ludo,

Quae semel postquam cecidere, frustra
Molis ingentis stupuit ruinas
Poenitens sero temerator incon-
sultaque facta.

Funditus sed dum tremefactus orbis
Nutat atque effrena ruens libido
Saevit et regum male tuta ferre
Sceptra recusat,

Mutuum Saxo reverens amorem
Principum concors animis quietis
Ordinat, si quid iubet innovari
Discolor aetas.

Cedat ex voto: sapiensque rectam
Si voluntatem ratio magistra
Diriget, scitis populi probator
Concinat usus.

At tibi pondus grave publicarum
Sublevet curarum amor atque blanda
Te suum poscens sibi, Friderice,
Voce Maria.

Sic bono cum Rege novae salutis
Clareas auctor populoque amatus
Saxonum rector meritis in omne
Nobilis aevum.

GODOFREDUS HERMANNUS.

## XXIV.

EGREGIO ADULESCENTI MATTHIAE DE VRIES,
HARLEMENSI,

**Hooftii fabulam e Plauti Aulularia in patrium sermonem conversam denuo edenti.**

Quem iuvet, instabilis venetur gaudia vitae
Et mutet incertos Lares:
Velivolum ad Tamesim nunc visat et arva superbi
Rigata fluctu Sequanae,
Nunc Tiberim flavum et domini monumenta Quiritis
Lymphasque amet Sebethidas,
Nunc ad pulchra Tagi, nunc Hebri ad pulchra fluenta
Fastidiosus avolet,
Parva sit huic aegrae vitanti taedia mentis
Europa, anhelet Indiam —
Non ita Neerlandus sese fugit: angulus illi
Haud patria est iucundior.
O patria, hos sensus quanta dulcedine mulces,
Olympus in terris sacer,
Tuque, o cara foci sedes, ubi prima steterunt
Infantiae incunabula.
Nulla tui immemorem capient oblivia, dextrae
Prius ipse erit suae immemor.
Hic fidam risu didicit cognoscere matrem,
Genu paterno hic insidens

Dimidiata loqui et voces imitantia lingua
Balbutienti nomina,
Tum molire arces et ponere castra tubasque
Inflare, regnum ludere,
Iungere curru haedos, se aurigam ferre — voluptas
Reditura nullo tempore.
Interea patulae committere semina menti
Non desinunt piae manus,
Semina, quae flores gignant virtutis amoenos,
Iucunda fructuum omina.
Pulchra dies, primum qua recti conscia blando
Colore mens tinguit genas
Atque ignota sinus percurrit flamma trementes,
Ceu rima nubes ignea!
Pulchra dies, rude Musarum quae pectus amore
Flagrare conspicit novo,
Qua Deus et patria incipiunt verumque bonumque
Sancta esse cordi nomina!
Illa dies Genium laeto deducit Olympo,
Custos fidelis ad latus
Qui caput hinc niveis atque hinc circumstrepit alis
Monstrans pedum vestigia,
Ne recto deflectat iter de tramite raptus
Contagione saeculi.
O felix, Genio facilem qui praebeat aurem
Ducique se volens sinat.

Quae procul huic vitae arridet felicis imago,
Quae spes futuri ostenditur!
Quae talem auroram excipiet formosa dies, quae
Diem sequetur vespera!
Quidquid agit, iuvenem placidae pax aurea mentis,
Parentum amor beat et Dei;
Quocunque incedit, laudes et vota bonorum
Gressus sequuntur omnium.
Non animum huic vexant tristis fastidia vitae
Nec temporis queritur moram.
Sufficit ipse sibi, suus est: patriaque focoque
Nil dulcius Neerlandico.
Hic, ubi magnorum virtus surrexit avorum
Tacito vigens silentio,
Tum soli monstrata novo, stetit unica mundi
Stupentis admiratio.
Dicite felices animae, felicia prisci
Vos dicite aevi germina,
Quid dominos potuit fastus contundere, Ibera
Levare collis vincula?
Cur Tamesis trepidante revolvit ab aequore fluctus
Fractisque pallet cornibus,
Aut arma infestae manui victricia Franco
Excussa Xerxi decidunt?
Nomen ad Hesperios Neerlandum et nomen Eoos
Cur spreta fertis natio?

Quid Musis Latio profugis splendentia templa
Pigra in palude condidit?
Hoc placitae pietas intra penetralia Vestae,
Laboris hoc patiens manus,
Hoc simplex vita in censu non paupere fecit
Suisque mens dives bonis.
Tunc libertatem officiis populusque patresque
Iunxere vinclo amabili
Et frontem ornabat sincera modestia, nec mos
Bonum videri haud esse erat.
Ah fuimus Troes: semel insanivimus arte
Capti Sinonum perfida.
Infaustas monstro fatali pandimus urbes.
Hinc omne pestilentiae,
Hinc scelerum seges: effugit, si quaerere velles,
Hollandia ex Hollandia.
Di bene. Spes mansit, nec Iuppiter omnia falsos
Iratus Argos transtulit.
In manibus spes illa tuis, generosa iuventus:
Pignus tuemini sacrum,
Ardua labentis defendite Pergama Troiae,
Labor supremus vos vocat.
Vos illa antiquae sedes pietatis, amara
Quae nunc cinis pietatis est,
Vos maiorum umbrae, maesto vos patria voltu,
Vos alterum genus, adspicit.

Ite agite, et totas pulchro in certamine vires
Exserite, vincite hoc decus!
Macti animis, quîs pulsat amor trepidantia corda
Tantam parare gloriam.
Vriesia in hac acie dudum stetit ardua virtus,
Stabitque semper Vriesia.
Fortunate pater, tali dignissime nato!
Quale hoc patri spectaculum,
Quale tibi! Lacrimae dicent, non verba. Beatum,
Cui lacrimae sic effluant.

PETRUS HOFMANNUS PEERLKAMPIUS. MDCCCXLIII.

---

## XXV.

### AD UNIVERSITATEM BEROLINENSEM SEMISAECULARIA CELEBRANTEM

senatus academici Marburgensis nomine.

Cur novi Sprevae placidas ad undas
Excitant mentem sonitus? superba
Cur novo splendore palatiorum
Compta refulget

Urbs Borussorum? quid agit decora
In domo regum chorus hic verendus?
Artibus gaudens academiisque
Dic age, Musa.

Nullus hic pompae locus est inerti,
Nullus est fuco neque glorianti
Fastui. Dignam nivibus comarum
Ecce senectam

Et viros nervis iuvenum vigentes
Pube cum florente ad agenda sacra
Hic vides iunctos superas in auras
Mittere voces.

Gratias solvunt, pia vota fundunt,
Dant precum laudes. Celebrant, decem ante
Lustra quod clemens Deus ex profunda
Nocte retexit

Lumen Illius memori ruinae
Frigidi horrores etiamnum inhaerent,
Qua ferox quondam patriae occupatos
Undique fines

Hostis afflixit subolesque clade
Heu Tuisconis ruit universa.
Tunc ubi victricis amica gentis
Palma Borussae?

Tunc ubi vexilla prius corusca
Urbium? cuius fuit, his in arvis
Quod spei incertae rigido labore
Sevit arator?

Unde tunc leges populis acerbae?
Regibus nostris aliena iussa
Unde? Gallorum strepitu insolenti
Cuncta repleta.

Et cuinam tunc licuit dolores
Publicos efferre? cui querendi
Ulla libertas tribuit malorum
Dulce levamen?

Heu decus summum patriae optimumque
Tunc, fides Germana, oculos gigantis
Luridos horrens, subiit propinqua
Labe periclum.

Sed Deus noster vetuit columnam
Proici quassam. Deus ipse fido
Filio et regi patriae, severa
Sorte probato,

Friderico Guilielmo ahenum
Robur inspirat. Lodovica fida
Coniugi coniux velut ex corona
Caelicolarum

Adstat in terris, ope mox peracta
In beatorum fugitura sedes,
Ut suis, quae non pereant, Borussis
Munera linquat:

Adstat ornatus meritis virorum
Coetus, altari patriae sacratos
Adgerens ignes, quibus in tyranni
Regna nefasta

Omnium, qui ferra ferant, bonorum
Proelium extremum statuunt, futuri
Per Deum certis animis triumphi
Pectoribusque

Masculis. Haec hora, soror sororum
Summa doctarum, celebris chori dux
Quae salutanda es, studio flagranti
Te dedit urbis.

Haec dies, qua rex, sator ut paternus,
Te, coercendo proprium apparatum,
Divitem et grandem voluit, stupenti
Te dedit orbi,

Spem novam certamque resuscitandae
Ex gravi luctu patriae universae.
Illa fortunata dies piorum
Cordibus omni

Gratulabundis celebretur aevo.
Nam fidem servans tua reddidisti
Dona donanti. Locuples per illum
Divitiarum

Aureum semen patriae per arva
Larga sparsisti. Iuvenum cohortes
Artium sertis studiique lauro
Conspicuorum

Induisti armis violenta Galli
Castra fracturas meritoque cultu
Restituturas patriae, resarta
Pace, penates.

Tanta nascenti tibi sunt tributa.
Rivulis parvis oriuntur amnes:
Ex redundanti tua magna fonte
Volvitur unda.

Magna volvatur, vegetasque vires,
Rege caelesti latices alente,
Per virescentes patriae beata
Prata volutet.

ERNESTUS RANKIUS.

## XXVI.

SOLLEMNIA,
QUIBUS GUILELMUS REX REGIA INSIGNIA SUSCIPIT,
gymnasium Fridericum Guilelmum
et scholae cum eo iunctae
celebrant.

Ardua in caeli regione praepes
Ecce libratur Iovis ales atque
Fulget excelsus prope solis ignes
Sideris instar.

Non ut incendat senio gravatus
Funeris flammas velut Inda proles,
Nata cui quondam ex cinerum favilla
Prima iuventus:

Quin ut auscultet, rata quae futuri
Temporis sors sit, patriae quid almae
Consulat vere, referatque nobis
Omina fausta.

Regiae sedis redit ad penates
Insidens nimbo spoliisque priscis,
Aureum sceptrum simul et coronam
Splendida signa

Gloriae, quae nunc iterum sacrata
Numine a summo tibi, rex, benigna
Dona virtutum meritisque celsis
Digna reportat.

Nominis clari celebrata fama est,
Cognita et cunctis populis remotis:
Terruit pridem gladius rebelles,
Quos domuisti.

Non trement unquam duce te pericla,
Quos vocas armis patriam tueri,
Terga non vertent, statuesque victor
Alta tropaea.

Quodque in effato valet et valebit
'Fortibus fortem subolem creari',
Id tuae genti celebri per aevum
Propria virtus.

Lustra non tantum nituit perennis
Sedecim bina ex ineunte luce
Conditi regni, sed et ante magna
Nomina servat.

Aerea hinc fulgent monumenta, quae iam
Casta et insignis pietas nepotum
Condidit, quae non abolebit unquam
Atra procella.

Laudibus tollunt velut astra caeli
Posteri grati, quibus aequa virtus,
Aere quos fusos colit ac veretur
Regia nostra,

Quis gravi bello trepide fugatae
Hostium turmae validae et timendae
Lauream multo temere invidebant
Sanguine partam.

Tesseram quis non recolit lubenter,
Quam dedit quondam generosus ille
Rex deo fisus patriae saluti
Tempore in ipsis

Rebus angustis animo virili
Consulens, cum iam rueret tyranni
Regnum et in campis acies cruenta
Clade perirent.

Hic dies faustis radiis coruscans
Inde festive celebratus alma
Artibus nec non studiis dicata
Pace serenus —

Hic dies, inquam, rediit, tuo quo
Inclito imponis capiti coronam
Rite victricem et suboli futurae
Lauripotentem.

Alite illuxit pariter secunda,
Quo tibi proles veneranda nata et
Coniugi augustae, columen nepotum
Praesidiumque.

Vota solvuntur pia, in aede sacra
Supplices summum Deum adimus omnes,
Provida cura velit esse salvum
Te Guilelmum.

FRIDERICUS UHLEMANNUS.

# LIBER TERTIUS.

## I.

### IN DOCTORUM VIRORUM IMAGINES BIBLIOTHECAM MEAM EXORNANTES.

O dux Pieriae, Petrarcha, turbae,
Acti candide tuque culte Bembe,
Torquate atque Arioste tuque Pice
Tuque o Agricola et Politiane
Tuque o orbis honos, Erasme tuque
Laus secunda tuis, Secunde, Belgis
Et vos Scaligeri, Iosephe, Iuli,
Orti Caesaribusque regibusque,
Reges Aoniae ducesque turbae,
Tuque o nobile pectus, eruditae
Arcis conditor, erudite Dousa,
Et tu suada iocosa, docte Baudi,
Et tu seria suada, docte Lipsi,
Et qui signa tui legis magistri,
Erici Puteane, tuque Groti,
Groti maxime, litterate Groti,
Verax ille tuis Apollo Delphis,
Et tu Pieriae tuaeque Claudi
Gentis gloria tuque docte Vossi
Et tu, patria Ganda quo superbit,
O Heinsi pater, o pater leporum,
Doctrinae pater elegantioris,

Tuque o fama tui patris paterni
Heres pectinis, Heinsiana proles
Et tu Belgice Martialis et tu
Casaubone, Bocharte, Beza tuque
Princeps inclute, Ferdinande princeps,
Decus Neuhusii decusque Pindi:
Omnes denique, quotquot hoc in aevo
Aut aevo viguistis in priore,
Orbis lumina magna litterati,
Orbi nomina nata demerendo —
Ut vos intueor lubens, ut oris
Vestri has effigies imaginesque
Contemplor taciturnus ipse mecum!
At vos o, studiis favete nostris,
Culti sidera saeculi polita,
Docti sidera saeculi erudita,
Vos, quaeso studiis favete nostris,
Loci numina dîque litterati.
Ut divos ego vos deûmque natos
Specto, suspicio coloque vates.
Et vobis Clarium bibam liquorem,
Vobiscum Clarium furam furorem,
O divi indigetes et hospitales.
Pro Phoebo mihi, pro novem Camenis
Vos estis totidem mihi Camenae,
Vos Phoebi totidem mihi futuri.

PETRUS FRANCIUS.

## II.

### IN EMANUELEM CHRYSOLORAM.

Hic est Emanuel situs,
Sermonis decus Attici,
Qui, dum quaerere opem patriae
Afflictae studet, huc iit.
Res belle cecidit tuis
Votis, Italia: hic tibi
Linguae restituit decus
Atticae ante reconditae.
Res belle cecidit tuis
Votis, Emanuel: solo
Consecutus in Italo
Aeternum decus es, tibi
Quale Graecia non dedit,
Bello perdita Graecia.

FRANCISCUS POGGIUS.

---

## III.

### AD SEMPRONIUM,
a quo fuerat reprehensus,
quod materna lingua scripserit.

Non quod me geminas tenere linguas
Et Graiam simul et simul Latinam,
Semproni, reputem, mei libelli
Materna tibi voce sunt locuti,

Ut tanquam saturum hinnuloque aproque
Vilem iuverit esse me fasellum —
Quod tu carminibus tuis venustis
Permirum tibi dixeras videri.
Sed famae veritus malae periclum
Campo versor in hoc locutionis:
Quod dicam tibi, quem proboque amoque,
Quantum pignora vix amant parentes,
Ut cum noveris id, cavere possis.
Nam pol qua proavusque avusque lingua
Sunt olim meus et tuus locuti
Nostrae quaque loquuntur et sorores
Et matertera nunc et ipsa mater:
Nos nescire loqui magis pudendum est —
Qui Graiae damus et damus Latinae
Studi tempora duplicemque curam —
Quam Graia simul et simul Latina.
Hac uti ut valeas, tibi videndum est,
Ne dum marmoreas remota in ora
Sumptu construis et labore villas,
Domi te calamo tegas palustri.

PETRUS BEMBUS.

## IV.

Sis dives, generosa, bella, casta,
Docta et si ulterius potes quid esse:
Si, Trivultia, non simul benigna es,
Nulli bella places, pudica nulli,
Nulli docta videris et beata,
Nullos divitiae movent genusque,
Et si his ulterius pote est quid esse.

LUDOVICUS AREOSTUS.

---

## V.

Quid tot procaces lacrimis sinus frustra
Rigatis, oculi, quid cruore manatis?
Hoc est, quod inquiunt, sapere Phrygas sero.
Tum lacrimare, tum dolere oportebat,
Cum vos, scelesti, meque perditum iretis.
Quoties rogavi, dicite, quoties supplex
Per me obsecravi per measque fortunas,
Ut haec rosetis aequa labra Paestanis
Voltumque cerni lubricum caveretis?
Nil me, scelesti, miseret aut piget vestri:
Cordis dolet solius, quod modis miris
Poenas furoris innocuum luit vestri.

NICOLAUS ARCHIUS.

## VI.

Nimis, o nimis morata, mea dulcis animula,
Iuga per vagaris alta locaque horrida nemorum,
Ubi tristium ferarum commercia rigida,
Quod ames probesve, amoenum placidumve nihil
habent,
Ubi voltures lupique aut ululae nemorivagae
Stridoribus malignis tibi lugubre maleque
Minitentur et tremorem, mea vita, tibi ferant,
Quam me quietiorem facile esse cupierim
Tibi si omnia auspicato fieri precor et bene
Succedere id, quod optas, prece sollicito deos.
Sed age ista saxa tamque inamoena fuge loca
Et amabilem tuorum sedem repetere ama,
Ubi Cypris et Voluptas, Iocus et lepidus Amor
Hilarant beantque amantes, ubi laetitia viget,
Abit aegritudo et omnis fit maestitia procul:
Sapienter ergo pergas bene consulere tibi.

PIERIUS VALERIANUS.

---

## VII.

### AD LILIUM.

Lili, praeparo principi dicare
Ex nugis aliquid peculiare,
Incultum licet et minus disértum —
Sed ture accipimus molaque salsa
De magno Iove gratiam parari.

At cum sint aditus secretiores
Ad Nysam tibi pervii frequenter
Et patrem Clarium et novem sorores
Compelles lepido tuo susurro:
Pro me ne pigeat rogare paucis,
Ne nostra haec schedia imbuant siluri,
Ne farcimina, ne tegant olivas.
Quodsi carmina forte non merentur,
Meretur pietas tamen poëtae,
Qui sacrum dedit, ut tulit facultas,
Miti pectore sane et integello.

CAELIUS CALCAGNINUS.

---

## VIII.

### IN FUNERE CAELII CALCAGNINI.

Quisquis Castalidum colit vireta
Mente vel vigili petit serenas
Domos Caelicolum vicesque rerum
Naturae et penetrat vias latentes
Vel putat faciles deos habere
Virtutis propriae favore fretus:
Te, Caeli, adspiciat tuumque fatum,
Quo nil deterius dedere terris
Crudeles nimium tibi sorores.
Tu, qui pulveris, heu modum, Sibyllae —
Aequo lumine fata si viderent —

Explere aut Pyliae dies senectae
Debebas, Lachesi iubente dira,
Proh scelus, raperis gradu citato.
Exemplo hoc igitur docemur omnes,
Quam constent fragili loco, perenne
Quae nos credidimus manere in aevum.

LILIUS GREGORIUS GYRALDUS

---

## IX.

Iam bruma veniente praeterivit
Aestas mollior et cadunt ab altis
Frondes arboribus, tepor favonî
Immanes boreae furentis iras
Formidans abit, illum agri voluptas
Canorae volucres sequuntur. Ergo
Et nos dulcia rura deseramus,
Dum ver purpurea coma decorum
Reducat zephyri tepentis auram.
Horti, deliciae meae, valete;
Fontes luciduli, valete; salve,
Mihi villula carior superbis
Regum liminibus: recedo — sensum
Sed meum hic animumque derelinquo.

MARCUS ANTONIUS FLAMINIUS.

## X.

### AD COSIMUM MEDICEM FLORENTIAE ET SENARUM DUCEM.

O quem Mars pater et Minerva Pallas
Ad ripam placide fluentis Arni
Regem fortibus edidere Etruscis,
Ecquando mihi fata largientur,
Ut artes patrias tuasque laudes,
Quae Phoebo auspice prodeunt in orbem,
Mandem versibus aurei libelli?
O quae tum mihi grandiore plectro,
O quae tum mihi bella sunt canenda.
Nunc dum nos placida in quiete dia
Iubes otia ducere omniumque
Florere studia usque litterarum,
Quas Graeci coluere, quas Latini:
Hanc, mi Rex, tibi floribus coronam
Intexi sine patriasque lauros
Inter litoream virere myrtum,
Ut qui post aliis erunt in annis,
Norint quam bene saeculum beasti,
Princeps unice liberalitatis.

AONIUS PALEARIUS.

## XI.

Ut, quidquid cupis, adsequare, Lesbi,
Non magnos opus est pares patronos,
Si turget rubeis crumena nummis:
Nummo non melior patronus ullus.
Sin vero tibi desit ille tutor,
Nequiquam — mihi crede — amice Lesbi,
Facundus Cicero patrocinetur.
Persuadet citius nihil beata,
Impetrat citius nihil crumena.
Hac, quodcunque voles, eris repente,
Facundus, generosus atque bellus,
Invictus, sapiens amabilisque.
Hac et consul eris et imperator.
Haec te, si cupies, deum creabit
Aequabitque Iovi. Sed ut tumentes
Cessabit loculos gravare nummus,
Fies rursus, eras quod ante, Lesbi.
Tam gratus venies tuis amicis,
Quam primum puto parsimoniarum
Adventare diem his, madens lagena
Quos et semper olens iuvat culina.
Sic sic, dum loculos habere, Lesbi,
Cessas: desinis esse carus. aera
Desisti dare: desiisti amari.

DESIDERIUS ERASMUS
MDXIII.

## XII.

### AD IOACHIMUM CAMERARIUM.

Si festos, Ioachime, feriarum
Claudendosque epulis dies paramus
Burchardo madidoque Chiliano,
Quorum numina talibus putamus
Nobis esse propinquiora sacris:
Cur non, quae magis attinebat esse
Nobis numina sacra, qui Latinas
Musarum colimus vacationes,
Abiectis veneramur otiorum
Curis omnibus et sumus parati
Ad convivia noctis otiosae,
Quae cras ominibus reducet
Idus Minciadae sacras Maronis?
Quas olim mihi Sarmatae solebant
Torpentesque gelu trucesque voltu
Ante ignes celebrare luculentos
Instructis gelido foco caminis
Per convivia lautiora nostris
Et per pocula crassiora nostris:
Nunc nemo mihi Noricam per urbem
Idus concelebret sacras Maroni?
Tanto barbarus elegantiori

Praestet pectore Norico bubulcus?
Sed tu si sapies et approbabis:
Quas nascens Maro consecravit Idus,
Idus nos celebrabimus Maronis.

HELIUS EOBANUS HESSUS.

---

## XIII.

IUDOCO HESSO.

Si non prandia pauperis poëtae
Aspernaris amica, sed minuta,
Sed ieiuna, sed arida et pusilla:
Hoc te pollicitum fuisse nuper
Nunc debes meminisse, te futurum
Convivam mihi, quo die volebam —
Atque is est hodie dies. Ut ergo
Promissis facias satis, venito,
Postquam nunc decimam notabit umbram
Index linea. Nunc vale, et venito,
Ingens Sturtiadum decus tuorum.

HELIUS EOBANUS HESSUS.

## XIV.

### AD NEAERAM.

Quantum delicias tuas amabam,
Odi deterius duplo ampliusque
Tuam nequitiam et procacitatem,
Postquam te propius, Neaera, novi.
At tu si penitus perire me vis,
Si vis perdite amem et magis magisque
Totis artubus imbibam furorem:
Sis nequam magis et magis proterva.
Nam quo nequior es proterviorque,
Tanto impensius uror inquieto
Ventilante odio faces amoris
Et lentas iterum ciente flammas.
Quod si sis melior modestiorque:
Odero minus, et minus te amabo.

GEORGIUS BUCHANANUS.

## XV.

Omnibus horis
Nemo beatus.
Lubrica sors est,
Nescia certa
Sede morari.
Cum stat in imo,
Tendit in altum:
Cum stat in alto,
Tendit ad imum.
Phoebe, remotas
Pronus in undas
Sidis et idem
Tramite sueto
Aurea notum
Plaustra retorques
Gratus ad ortum:
Per te ubi laetis
Candida terris
Reddita lux est,
Proxima furvis
Torva tenebris
Nox manet aegrum
Scilicet orbem:
Quae simul atque

Ingruit uno
Cuncta colore
Turbida miscens,
Aëra silvas
Flumina ripas
Praedia colles,
Iam meditatur
Ferre soporis
Lumina terris
Vecta coruscis
Nuntia Phoebi Au-
rora quadrigis.
Bruma ubi nigris
Horrida ventis
Abstulit omnes
Undique flores,
Abstulit agris
Gramina calvis,
Misit iniquas
Dira pruinas,
Reddidit altis
Montibus aequas
Grandine valles
Et glacialem
Marmore texit
Frigida pontum:
Dulce redit ver

Et redit aestas
Tincta virentes
Rore capillos,
Cincta caducis
Tempora spicis
Restituitque
Flamine molli
Gramina campis
Et spoliatis
Reddere gaudet
Tegmina silvis,
Sedula pictos
Ornat apricis
Floribus hortos:
Scilicet ut sit,
Quod fera rursum
Perdere possit
Bruma revertens.
Cum zephyri flant
Cumque sereno
Turbida movit
Nubila caelo
Clarus Apollo:
Iam boreas, iam
Iamque protervus
Auster Orionque
Imminet udus.

Perpetuum nil.
Cuncta recurrunt
Ordine certo:
Gaudia luctus
Occupat amens,
Seque superbis
Funera miscent
Saeva triumphis.

IOANNES NICOLAUS SECUNDUS.

---

## XVI.

Magdalena Georgii Sabini
Vatis nata Melanchthonisque neptis
Cum felicibus ac piis quiescit,
Quos haec area contegit sepultos:
Olim tempus erit, potente sacri
Quando numinis excitata flatu
Cum felicibus ac piis resurget.

GEORGIUS SABINUS.

## XVII.

### AD IOANNEM STIGELIUM.

Est nostrae locus hic propinquus urbi,
Quo picti vario colore flores
Rident tempore veris et volucrum
Arguto resonant fruteta cantu.
Gemmantes ibi mane dum per herbas
Curis ambulo pressus inquietis
Albertique mei recordor, olim
Qui vestigia discolore mecum
Hic in gramine fecit atque lusit
Umbrososque perambulans recessus
Blandos mollibus abstulit Napaeis
Flores, ipse quibus domum reversus
Me donare patrem, quibus sorores
Et donare suas puer solebat.
En viator adest mihique reddit,
Musis care, tuos, poëta, versus
Dulci nectare, melle dulciores,
Quos in filioli mei sepulcrum
Praematuraque fata condidisti.
Magnum tristitiae meae levamen
Hos sensi numeros tuae Camenae,
Aeternum quibus et perenne nomen
Alberti tumulo mei dedisti.

His pro versibus ergo gratus opto,
Ut salvus tibi filius Ioannes
Nec non Callimachus tibi superstes
Vivat Pieridumque cultor aequet
Alter Battiaden et alter Hessum,
Ambo Stigeliaeque gentis ornent
Multa nobile claritate nomen.
Me vero miserum novus parentem
Luctus afficit: his enim diebus
Alter filiolus mihi est ademptus,
Cuius vita duos agebat annos;
Mellitus puer, elegans, venustus,
Nomen Christophori tenebat. Omni
Sic orbus modo prole sum virili.
O vanas nimis et caducas
Omnes denique spes meas inanes.
Sed cum certa Dei sit haec voluntas,
A nobis patienter haec ferantur.

GEORGIUS SABINUS.

## XVIII.

### AD IOANNEM HAGIUM FRANCUM.

Hagi, fugit hiems novoque tellus
Leni foeta parit tepore flores,
Quos per rura Favonius benignis
Mulcet flatibus irrigantque rivi.
Ergo mollibus ecquid in viretis
Orto sole cubiculum relinquens
Laetos per iuga flosculos et udis
Felices legis herbulas in hortis
Et quoscunque ad opem rosas medendi
Tellus educat utiles sub arcto?
Sic, Hagi, breve ver agas, sed aestas
Postquam transierit, Vesontionem
Antiquam venias, ut ante brumam
Ad flavas Ligeris volemus undas,
Aut, si fert ita caelitum voluntas,
Ad montis iuga laeta Pessulani.
Nunc solus gelida sedens in umbra
Ad rupes Dubii recordor actae
Vobiscum rigido sub axe vitae,
O desiderium meum sodales,
Omni tempore quotquot estis omnes,
Quos iunxit mihi dulcis eruditae
Consuetudinis usus et recessus

Cultrices Heliconii Cnidique
Lucos diva colens arundinosae.
Absentis quoque vos mei sodales
Conservate memoriam Secundi,
Qui vos diligit atque amare porro
Omnes, ut prius, est paratus annos.

PETRUS LOTICHIUS SECUNDUS.

---

## XIX.

### MARTINO ROSEMANNO.

Si te deliciae tuae puellae,
Martine optime, non tenent nec hortus:
Petrus Lotichius Secundus orat,
Huc ad se venias meridiatum
Cum testudine, cum ioco atque risu.
Nam domi pede claudicans iniquo
Cum solo sedet otiosus Alto,
Zerbstensis neque adhuc liquore Zythi
Restincta est sitis et vetat Lyaei
Usum Paeoniae repertor artis.
Huc ergo venias, amice noster,
Cum testudine, cum ioco atque risu:
Sic cultae faciles tibi puellae,
Sic Musae tibi sint faventiores.

PETRUS LOTICHIUS SECUNDUS.

## XX.

AD G. CRACOVIUM ET M. LUCANUM.

Lucane optime tuque mi Georgi,
Qui versus canitis venustiores
Et Graiae pede vocis et Latinae:
Istos, si libet, urbis inquietae
Linquamus strepitus et, ut solemus,
Iucundis spatiemur in viretis
Restagnantis ad Albidos fluentum.
Lassi nunc etenim iuvantur artus
Coeli temperie serenioris
Et leni simul ambulatione —
Dum blandae nemoralibus sub umbris
Mulcent aëra cantibus volucres
Et gratis parit irrigata rivis
Flores gramine discolore tellus.
O dulcissima solitudo ruris,
O silvae virides! Avete Nymphae
Et fontes et agelluli salubres,
Vos ignobilis otii voluptas
Et nostri requies laboris estis.
It secura dies soporque mollem
Totis noctibus irrigat quietem.
O vere ter et amplius benigno
Ortus sidere, qui sibi ipse notus

Sic degit placide videtque, tecto
Fumus dum salit ater ex avito.
Hoc vitae genus est beatioris,
Lucane optime tuque mi Georgi.

PETRUS LOTICHIUS SECUNDUS.

---

## XXI.

### AD RENATUM HENERUM.

Si mecum leviter meridiari
Sub myrto libet aviaque loto,
Mi Renate, parum deambulatum
Rus ad me venias, ut otiosis
Disertos recitet puer libellos
Bembi, Flaminii, Actii, Augurelli
Vel quodcumque bonum simillimumque est.
Nam quasdam volo collocutiones
Tecum texere, donec aestuosus
Frangat te calor, hinc sedens in herbis.
Dulci vina refrigerabis unda,
Qua citros rigat adluitque lauros
Nostris lympha scaturiens in hortis.
O iucunda beatitudo vitae
Libros inter et optimos amicos,
Quos iungit bona comitas et una

Delectatio rebus ex iisdem
Et Musae Veneresque transmarinae.
Gaude villula, quam tuum libenter
Inviso nemus! Ecquid aestimandum est
Curis esse beatius solutis?

PETRUS LOTICHIUS SECUNDUS.

---

## XXII.

Nivibus hiems exuberat, ver floribus,
Aestas aristis affluit, lacrimis amor.

MARCUS ANTONIUS MURETUS.

---

## XXIII.

Hoc deum rogito benigniorem,
Ne contemnar ego nec invideri
Me sinat: tamen alterum utrum eorum
Si det — quo mihi nil magis verendum —
Sperni non sinat, at det invideri.

STEPHANUS PASCHASIUS.

## XXIV.

An non, saeve puer, satis superque est
Tot me pectore parturire flammas,
Tot ignes premere intimis medullis,
Ni suspiria ventilentque flammas
Accendantque animi aestuantis ignes?
  Iam suspiria, iam modum furori
Tandem ponite: sat meos per artus
Furit flamma, furit malignus ignis.
  At vos, o lacrimae profusiores
Adeste et miserum levate amantem:
Adeste atque animi aestuantis ignes
Contra inmergite largiore rivo.
  Heu, qui me lacrimae levare possint
Quive extinguere tot caloris aestus:
Quas incendia, quas mei voraces
Flammae pectoris ebibere totas?

IOANNES BONEFONIUS.

## XXV.

Dic acus mihi, quid meae puellae
Illa candidula, illa delicata
Albis candidior manus ligustris,
Quid leves digiti tenellulique
Tantum commeruisse vel patrasse
Possunt, ut toties et hos et illam
Configas stimulo ferociente?
  Ah, ne molliculas manus inepta,
Ne leves digitos et inmerentes,
At pectus stimulo acriore punge,
Pectus durius omnibus lapillis,
Durius scopulisque rupibusque.
Hic stilum altius altiusque fige,
Hic acuminis experire vires.
  Quodsi mollieris meam puellam,
Di, quantam hinc referes superba laudem:
Hac te cuspide volnerasse pectus,
Quod nullis potuit Cupido telis.

IOANNES BONEFONIUS.

## XXVI.

### AD PANCHARIN.

Salve, melque meum atque amaritudo,
Otiumque meum negotiumque,
Meus Phosphorus Hesperusque, salve:
Salve, lux mea et meae tenebrae,
Salve, errorque meus meusque portus,
Salve, spesque mea et mei pavores.
Salve, nilque meum meumque totum —
Sed quid plurius? O ter ampliusque
Tota Pancharis Acharisque salve.

IOANNES BONEFONIUS.

---

## XXVII.

En, flores tibi mitto discolores,
Pallentemque rosam et rosam rubentem.
Illam cum adspicies, miselli amantis
Puta pallidulos videre voltus.
Cum tueberis hanc rubore tinctam,
Putes igne rubens cor intueri.

IOANNES BONEFONIUS.

## XXVIII.

### AD IOANNEM BONEFONIUM.

Prodite aurea scripta Bonefonî,
Prodi candida Musa Bonefonî,
Ut doctis etiam Italis pudorem
Imponas, quibus in poëtica assis
Non est Gallia terra: namque solis
Romuli popularibus Remique
Musarum attribuunt salem atque gustum,
Vel quorum patrios utrimque fines
Infernas mare cingit aut supernas.
Nos vappae sumus atque Apollinares
Lixae Musica castra pervagantes,
Quos nec Italis aura vagientes
Primum afflaverit aut Latina mamma
Lac immulserit humidis labellis.
Tu contra Ausonios pereleganti
Doctos carmine provocas poëtas.
Sic est materies boni poëtae:
Merx est publica quam dii benigni
Vendunt omnibus improbo labore.
Hanc cui non lubet esse neglegenti,
Docta Musicae in artis officina

Sub incude laboris usque tundens
Sese fabricat et sui artifex fit,
Nec Romae satis est fuisse natum:
Nam fit, non modo nascitur poëta.

IOSEPHUS IUSTUS SCALIGER.

---

## XXIX.

Si quisquam est, qui probari se cupiat probis
Oratione, vita, scriptis denique:
In his audacter nomen profiteor meum.
A puero eductus doctus liberaliter
Mores maiorum simul et doctrinam instititi.
Amico amicus, benivolenti benivolus,
Ingenuae frontis, oris et cordis probi
Ad gloriam grassatus vera sum via.
Nec ego istos mores novi saeculi novi,
Suspiciosos fraudulentos duplices,
Hilara qui fronte corde tristi obambulant,
Qui gaudent, si quid alteri evenit mali,
Qui maerent, si quid alteri evenit boni.
Quos, placitum est, laudant, quos placitumque est, vituperant:
Verone an falso, ciccum non interduint.
Procul haec a nobis. Edepol haud dicam dolo:
Tales inimicos mi quam amicos malui.

Placet vera virtus. 'Virtûs rebus omnibus
Anteit profecto. Non peribit, cum perit,
Quem penes est virtus. Virtus 'st immortalitas.'
Post inde cum iam flos aetatis surgeret
Et spatia extrema ingrederer adulescentiae,
Magis magisque impendiose litteras
Amare occoepi assiduus legere scribere.
Cum interea uterque demoritur parens loci.
Ego hanc occasionem ad studium Musicum
Esse ratus concepi iter ad oras Italas
Germaniamque in terram et terram Gallicam
Quasi ad mercatum litterarum pergere.
Concepi perfecique. Dis est gratia:
Laetitiam peperit parietque hic mihi labos.
Deinde autem scripsi. Scripta divolgata sunt
Amicûm suasu, non meapte audacia.
Tamen, ut nunc res est, haud me famae poenitet.
At vos favete et date crescendi copiam
Ingeniis, quae se publico applicant bono.
Si nullius famam unquam laesi per iocum,
Si nullius sublegi scripta per dolum
Neque lites ullas unquam aut pugnam coepii —
Nec id qui faciunt, dico palam, mihi placent —
Aequum est ab aequis me par impetrassere.
Ab iniquis porro haud aequum est aequa postulem:
Valeant iniqui et mali habeant magnum malum.

IUSTUS LIPSIUS.

## XXX.

Quis hic sepultus, quaeris? Ipse edisseram.
Nuper locutus et stilo et lingua fui,
Nunc altero licebit. Ego sum Lipsius,
Cui litterae dant nomen et tuus favor,
Sed nomen: ipse abivi. Abibit hoc quoque,
Et nihil hic orbis, quod perennet, possidet.
Vis altiore voce me tecum loqui?
Humana cuncta fumus, umbra, vanitas
Et scenae imago et, verbo ut absolvam: nihil.
Extremum hoc te adloquor:
Aeternum ut gaudeam tu apprecare.

IUSTUS LIPSIUS MDCIV.

## XXXI.

### AD APICULAS.

Mellificae volucres,
Quae per purpureas rosas
Violasque amaracumque
Tepidique dona veris
Legitis suäve nectar,
Teneri cives
Et seduli coloni
Et incolae beati
Hortorum redolentium,
Gens divino ebria rore,

Agite, o meae volucres, age, gens vaga nemorum,
Agite hinc abite cunctae
Et tumulum magni cingite Lipsiadae.
  Illic domum laresque
Vobis figite, figite,
Illic vestri
Copia mellis
Hereditasque fertur ad vos denuo
Debita, quam vobis quondam sublegerat ille.
At invidos malosque,
Et quem non Venus aurea,
Quem non amat Cupido,
Quem non amant lepores,
Quem non amat venustas,
Quem non amat Suäda,
Illis acutis protinus
Figite cuspidibus —
Ut, si quis malus impiusque tendat
Mel illud roseumque nectar, illas
Caeli delicias cibosque divôm
Impio male vellicare morsu:
Protinus undique et undique et undique et undique punctus
Calamisque vocibusque
Et eruditis morsibus
Concidat extincto victima Lipsiadae.

DANIEL HEINSIUS.

## XXXII.

### AD DANIELEM HEINSIUM.

Diserte vates, cura corque Musarum,
Clarum Lycei lumen et decus nostri,
Quem fama coetus inter eruditorum
Solvi dolente fert in arduum penna:
Si nostra scripta, si labos diurnabit
Perennitatis auspicante successu,
Agnoscet aetas gensque consecutura
Nos invicem vixisse mutuo nexu
Vinctos amoris, nulla quem dies rumpet.
Non exolescit morte sanguis heroum
Nec anima tradux illa caelitis flammae
Leti vias insistit et domum Ditis.
Corpus beatae mentis hospes angustus
Terrae solo debetur, unde concrevit:
At ingenî monumenta non vident manes.
Hac lege sancta foederatus, hoc pacto
Probri carente me tibi dico totum.

DOMINICUS BAUDIUS.

# XXXIII.

## PASCHA ANNI MDCXIV, QUI NATALIS MIHI XXXI.

Aeterno suboles coaeva Patri,
Humani generis piamen unum,
Quem certamine redditum cruento
Victorem necis horridae salutat
Festo carmine christiana plebes,
Per pulchrum quoties refulget orbi
Et noctis spatium diebus aequat
Nulla parte sui minuta Phoebe:
Te supplex veneror, reusque voti,
Post bis paschata quindecim peracta
Unum cum super additum recepi,
Has pro ture preces ad astra mitto.
Da fractum veteres dolere culpas,
Da vitare novas sagace cura,
Da de tramite lubrico iuventae
Egressum pede firmiore niti,
Da mentem solidam, virile pectus.
Sit pax coniugio. Meam parentes
Laudent, me pietas iuvent meorum.
Res detur nec inops nec invidenda,
Olim qua placide fruatur in spes
Non magnas nimis educata proles.

Unum te dominum professa constet
Libertas patriae, necesse fuso
Nec sit sanguine ius suum tueri.
Da nobis sacra pura, da magistros
Veri sollicitos simulque pacis,
Concordem populum, pium senatum.
Quod si nostra manus tibi ministra
Ulla in parte placet, nihil recuso:
Sed dum te valeam iuvare clavum
Rectum per medios tenere fluctus,
Dum non ambitio levesque plausus,
Non fulvi sitis inquies metalli,
Sed me pro patria salute cogat
Forti cura iugum subire collo.
Solves emeritum, redemptor orbis,
Cum visum tibi: tunc Pharo relicta
Agni sanguine tinctus innocentis
Ibo vivere gente cum piorum
Sincera azyma pascha sempiternum.

HUGO GROTIUS.

## XXXIV.

### SUBURBANUM REIGERSBERGIORUM (socerorum).

Sedes amoena nobilis suburbani,
Qua nil Valacris delicatius campis
Purae nitentes Veriae vident turres,
Laboriosis otium, quies fessis,
Labor quietis, grata cura securis:
Et tu beatis additus tumor campis
Antiqua moles, cuius ad iugum currens
Zelandus olim compulit gregem pastor,
Ubi aestuans Neptunus et sui plenus
Terris negarat litus et modum ponto,
Sed nunc virore laeta, floribus turgens,
Foecunda ramis undique ambitu toto
Pelagus secantes sicca despicis puppes:
Et vos odorae veris areae cultu
Et non avaro silva dives auctumno —
Virete semper, vireat et domus tota,
Domus illa vestra domina, vestra regnatrix,
Et vos pios et illa sentiat flatus
Faventis aurae floreatque vobiscum
Foecunda honorum nec minus ferax prolis,
In multa crescat saecla populus heredum

Semperque dignos afferat loco mores
Dignosque voltus transeatque cum fundo
Avita virtus atque avita fortuna.

HUGO GROTIUS.

---

## XXXV.

Dum iura multum litigata dimittit
Periculoso Sirius flagrans caelo,
Libet occupare perbrevem fori pacem,
Libet mihi donare desides horas:
In quas nec ullae ius habent clientelae
Nec impiger consultor antelucanus.
Sed Haga molles semper obsidet somnos
Notasque prohibet exui locus curas.
Regis Guilelmi, carcer advocatorum,
Valete turres, arbores Iacobeae
Inutilesque tot negotiosorum
Umbrae valete, sub quibus calent omnes:
Valete et aulae curiaeque discursus
Et ambulanti semper obvium murmur,
Valete: paucos, sed meos dies quaero.

HUGO GROTIUS.

## XXXVI.

### BONO NIHIL MALI.

Exilia, morbos, damna, pauperiem, probrum
Mala quisquis arbitratur, ipse est non bonus.
Namque illa facili turbine obveniunt foris,
Aut sortis inconstantia aut motu levi
Popularis aurae, nemo quae sapiens timet,
Cum nec timore nec dolore digna sint.
Mala quisquis egit, patitur: artificem in suum
Istaec redundant, quaque nascuntur, manent.
Scelestus accusator insonti reo
Multo est miserior, carnifex intus suus
Quem talionis lege damnat conscium
Furiaeque torquent: quidquid agites, hoc time
Nec aude in alios, ipse quod nolis pati.
Culpam sequetur poena: culpa ipsa est satis
Poenae superque. Sene, qui suffragia
Prius empta vendunt serviuntque opibus suis,
Putent beatos? Sunt mali: hoc quantum est malum!
Sunt alia forte, quae putes incommoda:
Haec fugere, si qua liceat, haud dissuadeo,
Dum prima maneat cura sapienter, pie
Probeque vitae currere hoc stadium brevis.

Quin illa, ab aliis quae venire dicimus,
Plerumque nostrae potius insipientiae
Sunt imputanda. Rarus est amor sui,
Cum nemo amantem se sui non aestimet
Et aestimetur. Regna non regnum modo
Provinciaeque proximam provinciam
Bello lacessunt, vir virum, domus domum:
Homo ipse summus semper est hostis sibi.
Quid, stulte, vitas castra, mare, turbas, forum?
Nescis, ubi omnis summa sit periculi:
Si vis tibi cavere, te primum cave.

HUGO GROTIUS.

## XXXVII.

### AD PAULUM CHOARTUM BUZANVALUM.

Cum iam videret impio premi stagno
Os, quo loquente se volebat audiri,
Parens virorum Gallia atque virtutum:
Heu quid paratis, clamitat, nefas, Parcae?
Revocate fusos, hactenus mihi vixit,
Acer iuventae seu vigore confertos
Inrumpit hostes fertque se obvium bello,
Seu maior annis iussa maximi regis
Perfert potentum luminum salutator
Concordiaeque sacra firmat interpres —
Explevit annos nempe, sed meos tantum:
Sui supersunt. Non iniqua poscenti
Parent sorores, redditur colo pensum
Eademque torto lana ducitur fuso.
At tu, Choarte, fruere caelitum dono,
Memor peractam nil moratus aetatem
Annos ab isto computare natali.

HUGO GROTIUS.

## XXXVIII.

### EPIGRAMMA IN PRINCIPIS MAURITII CURRUS VELIFEROS.

Defensor patriae patrisque vindex,
Quem miratur Eos tremitque Vesper,
Pulsum fluctibus aequoris Batavi
Litus navigat insolente curru
Et raptis celeri repente velo
Sulcat Cattigenûm rotis arenas.
Vi mixtus Zephyri tepentis Auster
Implet carbaseos sinus: locorum
Vanescunt spatia, essedumque velox
Vectum remigio fugacis aurae
Semper litoreas novas novasque
Et cernit simul et relinquit Alpes.
Vidi: quatuor et decem duabus
Terrae milia permeantur horis,
Et trabs fluctibus impedita nullis
Aequat paene suos citata ventos.
Quidquid praepetibus levatur alis,
Quidquid per liquidas movetur undas,
Hic currus superat: sed una currum
Vincit Mauritiae quadriga Famae.

HUGO GROTIUS.

## XXXIX.

### AD HUGONEM GROTIUM.

O quam te memorem, optimi parentis
Proles maxima, ter beate Groti.
Tu Pharsalica bella detonantem
Vitae restituis; tuum est, quod aeger
Felix nomine Martianus ille
Iam felix iterum vigere coepit;
Vivunt per te Avienus atque Aratus
Et Germanicus: alter Aesculapi,
Das vitam et simul accipis perennem.
  Sed ne summa tuae sit ista laudis,
En silvas similes Papinianis,
En pares elegos Tibullianis;
Non cedunt Senecae tui cothurni
Nec cedunt epigrammatum libelli
Musae Bilbilicae aut Catullianae.
Ludunt singula singuli poetae:
Haec tu cuncta potes, poeta noster.
Quis hoc non stupeat, Batava Siren?
  Nondum diximus. Explicas futuris
Bella Belgica saeculis suävi
Ex virtutibus utriusque cinno
Contendens Tacitoque Livioque.

Gratior Themidi nec est sacerdos
Et sollertior expedire caeca
Legum aenigmata. Charta testis illa,
Qua praestas mare liberum Batavis,
Et quae post aliae sequentur illam.
Festis innumera illa, cui fuisti
Salus perfugiumque turba. Testis
Cata Hollandia, quae sui patronum
Fisci legerat. Ipsa Diva testis
Quindeno sibi te sacrans ab anno.

Adhaec plurima praestites sacrorum
Ipsos sacra doces. Negare livor
Hoc unquam velit? obstruet sed ora
Virtus et triplici triplex superstes
Mundo pagina: qua pios tueris
Primores patriae, atque qua sacrorum
Isdem post dominum deumque nostrum
Ius summum imperiumque vindicasti,
Et qua Christiadûm docens salutem
Dispellis nebulas Socinianas.
Haec mirabitur, haec stupebit orbis:
Inprimis quibus ingenî ignea illa
Vis nescitur, et ut sacros libellos
Et patrum monumenta dia verses
Inde a tempore, qua sagacis annos
Ante vesticipes ab ore Iunî

Divini hospitio fruens magistri
Nectar eloquii sacri bibisti.
  Nec annis gravis otioque abundans
Facis talia, publicis sed usque
Districtissime rebus, ante fisci,
At nunc messibus haud quater novenis
Visis, cor oculusque civitatis,
Natali celebris quae Erasmiano est,
Et magnatibus, imperî Batavi
Inclinata super quibus recumbit
Nec Alcidae humeris ferenda moles,
Curarum socius comesque fidus.
  Felici omine dicte Magne, quid te
Sol maius videt? O decus tuorum,
Delfî gloria patrii, Batavûm
Splendor inclute, Belgices ocelle,
Orbis delicium Deique amores.

GERARDUS IOANNES VOSSIUS.

## XL.

### IN SCITUM CASPARIS CUNRADI 'DOMINI EST SALUS.'

Nil, Cunrade, tuo, diserte, scito
Ferme est notius inter eruditos
Hac doctae pietatis a tot annis
Fotae iugiter aemulatione.
Quin et me puerum recordor olim
Ausum non nihil inter hos olores,
Sed tantum puerum, inscium profundi
Sensus nec bene verba ponderantem.
At postquam nucibusque patriaque —
Sic aetate iubente — derelictis
A vobis procul anxium sinistrae
Fortunae didici timere fulmen,
Tunc me, quantus eram, venusta totum
Haec sententia cepit aut ego illam,
Tunc vidi magis et magis, tuum istud
Antiquum 'Domini est salus' quid esset.
Inprimis gracilenta non torosos
Cum nuper febris hos trahebat artus
Nec quidquam mihi — tanta solitudo
In terra minime mala bonorum est —
Veri consilii pateret usquam,
Hanc solam petii Deum salutem:

Et viris animique corporisque —
Id quod nec medicus nec herba posset —
Omni spe citius redire sensi.
Sint longe mihi patria et parentes,
Sint cari — grave dictu id est — amici
Et quodcumque iuvat domi morantes:
Non sum solus ubi Salus Jehovae est.

MARTINUS OPITIUS
Albae Iuliae a. 1622.

---

## XLI.

### GNOMAE POLITICAE ET MORALES.

Spes est salutis, nota cum causa est mali.

---

Legem tueri nemini est ignoscere.

---

Pax est triumphis maximis augustior,
At pacis haud sunt quae videntur tempora:
In nomine incauti acquiescunt plurimi.
Pax certa cautis hostis expectatio est,
Pax certa, pax aeterna victus hostis est.

---

Deumque seque nosse nosse est omnia.

---

Lex prima leges figere et refigere est,
Mutata namque id saepe poscunt tempora.
Probanda non est semper hic constantia:
Constantia haud est illa, contumacia est.
Legum tamen non crebra sit mutatio,
Mutatio nam crebra legum eversio est.

---

Quisquis nocendo proficit, non proficit.

---

Carere rege haud est carere regibus:
Regem haud volenti mille reges se offerunt.

---

Vita alteri est prodesse: noli vivere
Perinde natus ac fores tantum tibi.

---

Laudare virtutem, haud amare, est improbi.

---

Pars maior est quae desipit mortalium.

---

Mutantur haud, mutare quae se tempora
Stulti putatis: omnis est mutatio
Mores priorum ab integros mutantibus.

---

Sunt bella semper quîs placent civilia:
Nam bella prosunt sunt quibus civilia.

---

Dolus scelusque semper auctori redit.

---

Redire si contingeret prioribus
Et nostra nosque visere et versa omnia
Hic intueri, orbis hic novus foret,
Habitatus haud olim orbis, ignotus sibi:
Tam magna rerum facta nunc conversio est.

---

Quod gignit, idem et omne consumit dies.

---

Mortis mora est, quae longa vita dicitur.

---

Annosa multis silva perstat saeculis,
Nobis sed est eritque semper lux brevis.
Qui vixit, is vixisse vix dicendus est:
Non possidentis vita vitam est hospitis,
Nobis perit, nos et perimus tempori.

---

Refectio laboris est mutatio.

---

Haec, quae esse nobis creditur prudentia,
Caligo tantum noxque tantum illunis est.

MARCUS ZUËRIUS.

## XLII.

### FORTUNAE IMAGINI SUBSCRIPTUM.

Aeternitati nate, virtutis capax
Et mente sordes rapte terrenas supra,
Contemne fluxa regna fallacis deae,
Neu blandienti credulam praebe manum.
Debere sorti turpe, quod possis tibi.
Quamquam beatas rara commendat domos,
Plerumque rebus addita adflictis comes,
Atque expeditas sarcinas secum trahit
Egena virtus omnium, dives sui.
Volubili Fortuna versatur rota,
Constans moveri semper et semper levis.
Fidam experiris? crastino infidam die
Scito futuram, lubrico imponit gradu.
Proinde, famam quisquis ac laudem aucupas,
Atrocius quo saevit, hoc persta magis,
Neu fortuitis casibus tergum dato:
Cedunt prementi fata, cedentem premunt.

NICOLAUS HEINSIUS.

## XLIII.

### IANO BROUKHUSIO.

Quem dono leporem mihi dedisti,
Bonum, Iuppiter, atque delicatum,
Placet mirifice meo palato.
Est tenellus enim iuvenculusque
Atque inter lepores tenelliores
Tanto hic optimus omnium, inter omnes
Quanto tu optimus omnium poëtas.
Non talem Cererique Cypridique
Dilecti pueri per arva Cypri,
Per arva Arabiae, per arva Cretae
Venati canibus fuere docti,
Non talem gelidi iugum per Haemi
Aut in Taygeti iugis opaci
Aut in Maenaliis secuta silvis
Decus Maenaliae Diana silvae.
Cedat, lumine quae superbit Argi,
Cedat puniceis amicta pennis
Et guttis variis notata, toto
Cedat litore Phasianus ales.
O dignam Siculis dapem patellis,
O dignam patina Vitelliana.

Quare munere pro tuo polito
Tibi scilicet, o polite noster,
Ingentes ago debeoque grates.
Si quem, ut fama, lepus facit venustum
Septem, Iane, dies: venustus ille,
Quem donum modo tu mihi dedisti,
Ille melleus, ille mollicellus,
Omni dulcior ille melle, versu
Tuo mollior ille mollicello,
Vates mellee, mollicelle vates —
Quot me, Iane, dies venustus ille,
Ille melleus, ille mollicellus
Pulchellum faciet venustulumque?

PETRUS FRANCIUS.

## XLIV.

Lugete, o Veneres Cupidinesque,
Lugete, o Charites, Ioci, Lepores,
Et quantum est hominum politiorum:
Iacet Broukhusius gravique dudum
Febri corripitur necemque Parcae,
Hunc ni respiciat Salus, minantur.
Maeret docta virûm caterva, maerent
Fracto pectine, crinibus solutis
Et Phoebus pater et novem sorores.
At paulo meliusque rectiusque
Se vates habet, at minore sensim
Igni carpitur et resedit ardor,
At vivit meus et valet sodalis,
Vivit Broukhusius valetque vates.
Gaudete, o Charites, Ioci, Lepores,
Et quantum est hominum politiorum,
Gaudete, o Veneres Cupidinesque.

PETRUS FRANCIUS.

## XLV.

### AD PETRUM FRANCIUM.

Cycni candidior poëta plumis,
Cunctis dulcior o poëta cycnis,
Scis me sedibus huc et huc vagari
Incertis, laris indigum quieti,
Nec larem tamen esse nec quietem
Usquam, quae excipiat meos labores.
Quare, per genium tuum atque dextram,
Per communia sacra perque Musas,
Fac ut tutius aptiusque vivam —
Nam potes — lare proprio meoque.
Non te praedia posco, non superbam
Magnae luxuriem decusque villae,
Non regum atria, non domos potentum:
Verum, cum venia tua, tuum illud
Sacrum pectus Apollini et Dionae.

IANUS BROUKHUSIUS.

## XLVI.

Humana cuncta vanitate diffluunt,
Et quae videmus, et videri quae negant
Obducta velo callidi silentii,
Seu ludus illa, cura seu peperit gravis.
Nec sola rerum, sola verborum fides
Vacillat: ipsa claudicant emblemata,
Quae procreantis extulit mentis labor,
Arenulis minutiora arentibus,
Pappo volante certiora non magis
Atomoque inani inaniora somnia.

IANUS BROUKHUSIUS.

---

## XLVII.

VIRO SUMMO
AUGUSTO HERMANNO NIEMEYERO
die 18. apr. a. 1827.
tres absentes amici.

Consederamus tres viri professores
Sub noctem amoeno rure Lindenavino,
Seidlerus, ille semper aequus et lenis,
Schillingius, festivitatis haud osor,
Et liberi laudator oris Hermannus,
Quorum alteri fuere nuper Halenses

Halaque civem tertius vocat matrem.
Ibi, ut fit, inter vina largiter fusa
Nunc deque sanis multa deque vesanis,
Nunc deque Turcis alia deque non Turcis,
Nunc canonico de iure deque sclopetis
Deque Apocalypsi proelioque ad Euphraten
Tricesimoque vere saeculi sexto
Multo lepore mixta fabulabamur,
Cum subitus illis finis ore Schillingi
Factus monentis naviterque adhortantis:
'Petenda nobis Hala. Quis domi lentus
Sedebit, omnis flos ubi eruditorum
Congratulantes undique admigrant Halam?
Cunctabimurne? Quid? Vir omnibus nobis
Amicus et mihi tibique, Seidlere,
Collega quondam nos queratur absentes?
Petenda nobis Hala. Nil opus verbis.'
Volvit, revolvit dicta mente Seidlerus
Et dubius haeret, namque mater aegrotat
Et cara coniunx non valet satis recte.
Tum deinde verba facere coepit Hermannus:
'Ego ipse quid agam nescio. Volunt illuc
Me Lipsienses tertium ire legatum —
Ac pervelim primum ipsius viri causa,
Tum autem faceti quod sales inexhaustos
Audire Schuetzî multum habet voluptatis,
Et Reisigî videre quas cothurnata

Sublime Musa per plagas iter flectat.
Verum illa terret una magna formido:
Namque ire facile est, at redire non aeque.
Solemne magnum non capit dies unus,
Multique amici, multa comitas urbis.
Invitat alius, alius orat, hic prensat;
Huic adnuisti: qui potes negare illi?
Teneris hamo pendulus miser piscis
Perdisque temet inter opiparas caenas.
Utinam liceret, quod ferunt Clytaemnestram
Fecisse, Troia ne lateret excisa,
Halam inter et rus hocce Lindenavinum
Illa ciere nocte gratulabundum
Multa struice stuppea iubar flammae,
Ut Hala miraretur igneo caelo
Longinqua vota nuntiata amicorum —'
'Euge, inquit hic Seidlerus, euge, quid multa?
Quod per struices non licet, licet verbis.
Huc, huc venite. Cur moremur inter nos
Festo dierum laeta pectorum sensa
Expromere atque vota, quae decet dici
Viro, parem cui non habemus in vita,
Cui forma, verba, facta concinunt cuncta,
Ut eruditus, doctus, aequus, humanus,
Constans, fidelis, providus, gravis, fortis
Dubiisque rebus non egens opis certae
Et vel tyranni sustinens truces voltus

Metuque vacuus inter hosticos enses
Virtutis ingens omnis extet exemplum.
Ergo huc venite. Larga copia est vini
Calicesque multo concrepare tinnitu
Identidem licebit ad brevem mensam.
Illi feratur nuntius sciatque absens
Ipsa die illa, quid memor trium concors
Chorus virorum Lindenaviae curet.
Placetne?' 'Vero: complacet ratumque esto'.
  Sic illa, Niemeyere, gesta sunt nobis.
Tu nunc scias tui pie recordantes
Sedere veterisque Euii sacrum florem
Olim lagenis conditum resignantes
Clamare: 'Vivat ipse, vivat et coniunx
Vivatque proles aemulans patris laudem,
Et quae nepotum gens tenella succrescit,
Lateque quod per ora gentium claret,
Perenne nomen posteris propagetur.'
Quodsi quid addere amplius, quod optemus,
Fas est: amicus sis neque immemor nostri.

GODOFREDUS HERMANNUS.

# NOMINA POETARUM.

## INITIA CARMINUM.

# ADNOTATIO.

*Ernesti Rankii* carmina sumpsi ex venustissimis eius libellis, qui inscribuntur *Carmina Academica* (Marburg 1866) et *Horae Lyricae* (Wien 1874). In ceteris carminibus cum multa correxi alia menda tum typographorum errata, ut ‘bilis’ pro ‘bibis’ (p. 11, l. 6), ‘ponet’ pro ‘ponit’ (23, 4), ‘mors’ pro ‘mos’ (57, 9), ‘sanctam’ pro ‘sarctam’ (89, 19), ‘pares’ pro ‘paras’ (156, 2), ‘aera’ pro ‘era’ (156, 23), ‘nam’ pro ‘non’ (193, 6). Quaedam ex coniectura scripsi ut ‘arbor’ pro ‘ager’ (22, 17), ‘Romae’ pro ‘Romanis’ (79, 16), ‘hilara qui fronte’ pro ‘qui fronte hilaro’ (175, 15), ‘placitumque’ pro ‘placitum’ (175, 18) inseruique ‘te’ (16, 18). Quod vero aliqua ratione, etiamsi subsit error, defendi potest, id non ausus sum mutare. Admisi igitur ‘Repetat’ (82, 13), quo in carmine mirum quantum mutaverat Ianus Gruterus, ‘invideri me’ (170, 9), hiatum

194, 3, similia. Ceterum ut legi saltem versus posset, 28, 15 'noenu' pro 'non' a Lucretio (III 199) mutuatus sum eademque de causa 'inexoratus' posui pro 'irrevertendus' (93, 11) et 'aerea' pro 'aenea' (144, 21).

---

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEUBNERI.

